


SMITHSONIAN INSTITUTION LIBRARIES

SMITHSONIAN INSTITUTION LIBRARIES

1 - Major

ISAAC LEA COLLECTION
Division of Mollusks
Sectional Library

FABII COLUMNÆ, Lyncei, *Nobilis Neapolitani, Genere Romani,* OPUSCULUM DE PURPURA

Romæ primùm, An. 1616. editum,
& nunc iterùm Luci datum
Operâ ac Studio
JOHANN-DANIELIS MAJORIS,
Medicinæ D.
Cujus noviſſimè acceſſerunt
ANNOTATIONES QUÆDAM.

KILIÆ,
Imprimebat Joachim. Reumannus, Academ. Typogr.
M DC LXXV.

1775
134837
JAN 8 1890
EX BIBLIOTHECA J. RICHARD D. M.

Ad

RL
130.5
M9
C71
1675
copy 2
SCNHRB

Reverendiſſimo ac Sereniſſimo
Principi ac Domino,

DN. AUGUSTO
FRIDERICO,

Heredi Norwagiæ, Electo Epiſcopo
Lubecenſi, Sleſwigæ, Holſatiæ, Stormariæ, & Ditmarſiæ Duci, Comiti in Oldenburg & Delmenhorſt, &c.

Principi ac Domino Meo
Clementiſſimo.

Sectional Library-
Dept. of Moll. U.S.N.M.
Lea Collection.

SAlve, atque iterum humillimè mihi Salve, Sereniſſime Princeps, quem Regali ortum Sanguine, reducemq́ ex Aulâ Regiâ, agitata propitio Mari Balthico, ac Ventis Prora, incolumem iterum in has partes Cimbriæ advexit. DEO Ter-O. M. ante omnia ob id debentur Laudes: Hinc oſculo devotionis adrepo Auguſtæ Dextræ Tuæ, Eiq́, in aliquã gaudii mei oſtentationem, venerabundus ſubjicio editum meâ curâ perelegans Illuſtris Fabii Columnæ, Nobilis Neapolitani, Gente autem Romani, de Purpurâ Opuſculum, quod Romæ antea (An. 1616.) impreſſum, propriâq́ Auto-

Autoris manu, Tabulis æri inciſis ornatum, ſed difficilè hodie ampliùs reperiundum in Bibliopoliis, ut ab interitu vindicarem, tum &, ut eſſet præliminaris quaſi portiuncula edēdi à Me Theatri Naturæ Leopoldini, vel Phyſicæ Auguſtæ, Experimentali huic Seculo accommodandæ; transſcripſi meâ Manu, ex Bibliothecâ Magni quondam Germaniæ Æſculapii, Sennerti, meoq; impenſu Figuris in Buxo factis, ſimiliter exornavi; ac Nervum mihi incaleſcere auſus ſum, ut Scriptum id de Regali materiâ, ſicut jam antè Eccleſiaſtico Principi, Jacobo Sanneſio, Romanæ Sedis Cardinali, ita nunc E-

piſcopali Tuo Splendori, & Illuſtriſſimis Meritis, dedicarem; cum aliquantò tutius ducam, quoties Clementiæ Tuæ recordor, ab aliquot annis mihi præſtitæ, inter publicas Holſatiæ, VVagriæq; de Reditu Tuo lætitias, ex alienâ fruge liberalem, quam planè mutum eſſe. Ad hæc peculiariter me ad Subjectiſſimum Cultum & Amorem obſtrinxit jam pridem Tua Serenitas, dum minùs eſt dedignata ſuperiori tempore, in Utinenſi ſuâ Aulâ, plusculas horas conſtanter impendere, non minùs curiosè videndis, quàm clementisſimè approbandis Experimentis variis, Anatomico-Opticis ad Explica-

plica-

plicationem Oculi, inq; eo Viſionis Inverſæ, ad cognitionem item aliarum Partium, & ad Chirurgiam Infuſoriam ſpectantibus, cum Technopægniis quibusdam aliis, humillimâ meâ curâ factis; & oblectationem Animi ſui Excelſi ex his etiam minutiis venari.

Quàm gratus itaq; ac excellens aliàs eſt Rubor Roſæ præ Floribus aliis; vel Sanguinis Color in Corpore Animali; vel Auroræ in Cœlo, vel Minii in Terrâ, vel Purpuræ denique in Mari; tam grata mihi magis magisq; renovabitur Indulgentiæ Tuæ Memoria, ſi, Sereniſſime Princeps, Columniana etiam hæc Purpura, in periculo oblivioſæ

noctis

noctis jam aliquo verſari viſa, inter Auguſtos Clementisſimæ Tuæ Dextræ amplexus reviviscere quaſi, & novâ iterum Luce, priſtinoq; ſplendore frui poſſit. Subjungo Votum, ut DEUS diu feliciterq; Serenitatem Tuam ſervet. Scrib. Kiliæ, d. 3. 8bris. 1674.

Reverendisſ. T. Serenitati

ac Valetudini, omni curâ

Devotisſimus

JOH: DANIEL MAJOR, Phil. & Med. D.
Med. Pract. Prof. Publ. ibidem.

Illuſtriſſimo & Reverendiſſ: Domino

JACOBO SANNESIO,

S. R. E. CARDINALI,

Suâ, omniumq; Obſervatione Digniſſimo,

FABIUS COLUMNA

perpetuam Felicitatem precatur.

QUanti olim & uſûs, & precii Purpura fuerit, *AMPLISSIME CARDINALIS*, *vel ſolus* Plinius *Hiſtoriæ ſuæ Naturalis libro Nono nos docere poterit; cujus hæc concepta ſunt Verba:* Nepos Cornelius, qui Divi Auguſti Principatu obiit, Me, inquit, Juvene Violacea Purpura vigebat, cujus Libra Denariis centum venibat, nec multò poſt Rubra Tarentina.

Rectè ſanè. Nam & hodie non ſolùm magni Romæ æſtimatur: ſed & in VESTRO AMPLISSIMO SENATU PURPURATORUM, utraq; Purpura, tàm Violacea, quàm Rubra, ſibi locum invenit, Indumentis Veſtris ſerviens. Et Rubra quidem, quam Tyriam olim Tarentinamq; appellabant, in quotidiano amictu jucunditatis uti, ſic Majeſtatis profectô plurimum præ ſe

A fert:

— 12 — 8

fert: in Violaceâ verò, quam Conchylium Veteres dicebant, Mœroris & Gravitatis itidem ſigna eluceſcunt. Et quid mirum, cùm antiquitùs Romanorum quoque Procerum Imperatorumq; Veſtes Purpureus Color decoraret: unde & Leges exſtant, ne Murileguli (ſic Infectores illi denominabantur) purpureo illo Colore, Sacri Muricis nomine indigitato, alias Veſtes aut tingerent, aut Imperiales adulterarent.

Atque ſic quidem Antiqui Conchyliis Purpuris, ſive Buccinis, Colorem hunc præſtantiſſimum effingebant: quibus poſtera Ætas relictis, vel propter Inſcitiam, vel majorem impenſam, ignoro equidem, Cocco & marino Bryo Veſtes tingit purpureas; ſicut transalpinam Galliam feciſſe, Plinius *refert:* Herbis, *inquit*, Tyrium atque Conchylium tingit, omnesq; alios Colores; nec quærit in profundo Murices.

Verùm cum Ego ſtudioſè admodùm rimarer, quodnam eſſet Conchylium hocce, ad Purpuræ Tincturam aptum, illud tandem perquirendo inveni: inventum autem ut Lucem adſpiceret, Commentariolo quodam meo enixè elaboravi. TU enim, CARDINALIS AMPLISSIME, unicus occurriſti, tùm quia Sacrâ Purpurâ veſtiris, tùm quia in fulgentiſſimo illo Purpuratorum Conſeſſu magni momenti negocia ſummâ cum Laude, omniumq; Admiratione ſæpenumero tractas;

ctas: tum etiam quando à gravioribus ſemotus aliquantulum Curis animum refocillare intendis, Naturalibus Studiis adeò delectaris, ut inſtructiſſimum nunc Hortum tâm Exoticis, quàm Noſtratibus plantis habeas; ex quo cum Purpureum illum elegantiſſimum, atque rariſſimum Hyacinthum nactus fuerim, quem Tuâ Humanitate fretus, quod Tu Solus illo Romæ potireris, SANNESIUM nuncupavi; non abs re erit, ſi & hic cum Cochleâ meâ Purpureâ ad Te confugiat, quam vel ſola Umbra Purpuræ Tuæ Cardinalitiæ fovere & illuſtrare poteris.

Quod ubi à TUA benignitate impetravero, neque Zoilorum mordacem dentem, neque Invidorum ſiniſtram Mentem pertimescam. Quodſi verò etiam gratum hoc meum ſtudium intellexero, gratiorem ac feſtiviorem alteram, ac Rubram illam Purpuram, quam indagare non deſino, quamprimùm ſub eodem Tuo Ampliſſimo Nomine in ſtudioſorum gratiam proferre elaborabo. Interim TE DEUS OPT. MAX. diutiſſimè incolumem præſtet, altioribus TE Honoribus reſervans. Vale.

Idem

AUTOR
Ad Lectorem
OSTRACOPTAM.

TEſtaceorum Tractatio multiplici varietate perjucunda, & vel ipſa Purpura nobilis paucos quidem cùm ex Antiquioribus, tùm ex Recentioribus Phyſicos detinuit. Ex omnibus tamen, qui de illis verba fecerint, Neminem ipſa Teſtis inhabitantia Animalia conſideraſſe, variasq; eorum effigies tradidiſſe, mirum ſanè videri poteſt. Ut enim animadvertere incipimus, minimè parvi facienda eſt Animalis ipſius Imago & natura, ex cujus differentiâ etiam Teſtæ differentiam provenire eſt neceſſe. Obſervavimus diverſum in Cochleâ, ac in Purpurá Animal, variaque variis in Teſtis, nec etiam ſimilia eſſe, quæ in Cochleæ modò formatis Teſtis, licet ſolâ magnitudine, vel Colore tantùm inter ſe eædem Teſtæ differant, ut in Iänthinâ Cochleâ, & aliis. Commune quidem habent Turbinata omnia, quod Limbo ſint prædita quodammodo ſimili, quo gradiuntur, ſive repunt; cervice verò & aliis non ſolùm à Terreſtribus Cochleis differunt, ſed inter ſe etiam Colore variare, manifeſtum eſt.

Expo-

Exponere igitur hîc voluimus Purpuram, rarioribus nonnullis Teſtaceis adjunctis, Teſtas ſimul, ipſaq; Animalia, in Phyſicam Contemplationem adducentes, unde illorum differentia innoteſcere poſſit. In his interim eam inſpice, & perpulcrâ fruere varietate: poſtmodum enim, DEO dante, in aliorum Teſtaceorum Obſervationibus, quæ exhibituri ſumus, plenius quid videre licebit. Vale.

ELENCHUS.

De Purpurâ Teſtaceo, Purpuram fundente. Cap. I.

Cochleæ Iänthinæ cum Animali, exactior Icon & hiſtoria. Cap. II.

Turbo Exoticus Umbilicatus. Cap. III.

Buccinum Parvum Noſtras, cum Animali. Cap. IV.

Buccinum Exoticum parvum. Cap. V.

Lepas Exotica variegata, & Lepas nova Myrti morbus. Cap. VI.

Turbo Terreſtris non-deſcriptus. Cap. VII.

Turbo alter minor. Cap. VIII.

Cochlea Terreſtris Turbinata & Striata. Cap. IX.
Cochlea Marina Exotica Marmorea. Cap. X.
Concha Πολυλεπτογίγγλυμος. Cap. XI.
Concha Rarior Anomia Vertice Roſtrato. Cap. XII.
Altera Neptunia major. III. Imbricata. Cap. XIII.
Concha Anomia IV. margine undoſa. Cap. XIV.
Concha altera Anomia Striata τρίλοβος Rarior I. Cap. XV.
Concha Faſciata, gemmmeâ Concretione repleta. Cap. XVI.
Concha Exotica, margine in Mucronem emiſſa. Cap. XVII.
Concha Natatilis Νηριτώδης minima. Cap. XVIII.
Concha Exotica Vertice muricatim intorto. C. XIX.
Concha Utroq; latere ſe colligens Exotica. Cap. XX.

FABII COLUMNÆ, Lyncei, TRACTATUS DE PURPURA, ALIISQUE TESTACEIS RARIORIBUS.

EX BIBLIOTHECA J. RICHARD D. M.

CAPUT I.

De Purpurâ Teſtaceo, Purpuram fundente, & Ejus Animali.

§. 1.

PUrpuræ Vox ſive Nomen, ab Antiquioribus non tàm generis loco prolata, quàm Speciei; quin Animal etiam Teſtaceum genere diſtinctum, ex quo purpureus ille Color eximebatur, eundemq; Colorem extractum, pallore variantem, complectens; Muricis etiam Conchyliique denominatio, Rerum atque Vocum confuſionem apud Recentiores peperiſſe videtur. Verùm id Latinorum causâ potiùs, quàm Græcorum Lectione contigiſſe, patebit.

§. 2. Ut autem differentia Vocum atque Rerum innoteſcat, Confuſio etiam distinguatur, Veterum Auctorum aliquot Loca priùs examinanda, & præponenda eſſe, operæ precium viſum fuit.

§. 3. Purpura igitur Color, & Purpura Teſtaceum Animal, quod ſub nomine Conchylii & Muricis ab antiquis acceptæ ſint, apparebit: eaque nomina quando propriè vel impro-

improprie, aut in genere vel ſpecie illi comprehenderint, priùs diſtinguere conabimur.

§. 4. Conchylium, tanquam ſummum genus Concharum & Teſtaceorum, à *Plinio* (a.) uſurpatum cenſemus, de Purpurâ loquente, cum ait: *Lingua Purpuræ digitali longitudine, quâ paſcitur perforando reliqua Conchylia.* Et de Lunæ poteſtate verba faciens (b.) ait, *ideò cum incremento ejus augeri Conchylia.* Quod *Horatius* (c.) Metro expresſit, cum ait:

Lubrica naſcentes implent Conchylia Lunæ.

Et alibi: —— —— —— *ſimul asſis*

Miſcueris elixa, ſimul Conchylia Turdis.

Plinius (d.) de Polypi naturâ: *Veſcuntur Conchyliorum carnes, quorum Conchas complexu crinium frangunt.* Idem (e.) de Teſtudinibus loquens: *In Mari Conchyliis vivunt, tantâ oris duritie, ut Lapides comminuant.* Et alibi (f.) de Mullis inquit: *Laudatisſimi Conchylium ſapiunt.* Et alibi, (g.) de Indiæ Inſulis: *Bibaga Oſtreis & Conchyliis referta.* Quanquam & hæc inferiora loca pro Turbinatis tantùm accipienda ſi quis eſſe dixerit, medium genus conſtituere viderentur.

(a.) *lib. 9. cap. 36.* (b.) *lib. 2. cap. 99.*
(c.) *lib. 2. Sat. 4.* (d.) *lib. 9. cap. 29.*
(e.) *lib. 9. cap. 10.* (f.) *lib. 9. cap. 17.*
(g.) *lib. 6. cap. 21.*

§. 5. Nos verò pro inferiori Genere Turbinatorum, ſivè Concharum, Purpuram fundentium, ab eodem *Plinio* (h.) Conchylium acceptum putamus, cum inquit, de Lanarum generibus & Tincturâ disſerens: *De reliquarum infectu ſuis locis dicemus, in Conchyliis Marinis, & Herbarum naturâ.* Apud *Lucretium* (i.) de Rerum Naturâ:

Purpu-

Purpureusq́ color ConchylI jungitur unâ,
Corpore cum Lanâ. —— —— ——

Et *Catullus* de Nuptiis Pelei & Tetidos:

Tincta tegit roſeo Conchylis Purpura fuco.

(h.) *lib. 8. cap. 48.* (i.) *lib. 6.*

§. 6. Sic etiam *Vitruvius* (k.) antiquior *Plinio*, Conchas, ex quibus Oſtrum præſtantisſimum omnium purpureorum Colorum arte conficiebatur, appellavit, cum inquit: *Id autem excipitur ex Conchylio marino, quo Purpura inficitur*, &c. Additque modum præparationis. Et in fine Nominis rationem afferens, inquit: *Et quod ex Concharum marinarum Teſtis eximitur, ideò Oſtrum eſt vocitatum.* Apud Poëtas etiam Oſtrum Color eſt Purpureus; ut apud *Juvenalem* (l.):

Et Princeps Tyrio veſtem prætexuit Oſtro.

Eundem Colorem *Virgilius* (m.) Sarranum dixit:

Et gemmâ bibat, & Sarrano dormiat Oſtro.

(k.) *lib. 7. cap. 13.* (l.) *Satyr. 2.*
(m.) *lib. 2. Georg. v. 506.*

§. 7. Sed *Vitruvius*, tanquam Latinus, omiſit verum Oſtri Etymon, quod non eſt Latinâ derivatione factum, ſed Græcâ. Teſtas quidem ſive Conchas marinas Generis appellatione Græci dicunt ὄστρεα & ὄστρεια, ex quibus Oſtrum Latini purpureum colorem, & Oſtracium ex Oſtreâ dicunt. Græcis verò ex ὀστέον, quod eſt ος, quia Osſium ſit duritie Marina Concha, Etymon ſumpſiſſe putat *Euſtathius*, ſicuti Latinos à Teſtarum duritie, Teſtas. *Athenæus* (n.) tanquam generalisſimum acceptum refert, cum ait: *Soleniſtræ dicebantur, qui hujusmodi Oſtrea colligebant*, ut inferiùs narrat; ſcilicet à Soleniſtrum capturâ.

(n.) *lib. 3. cap. 12.*

§. 8. Conchylium prætereà Infecturæ genus propriè dici, & à *Plinio* ſic etiam uſurpatum, ſatis eſt manifeſtum, ut nos exiſtimamus: de Infecturâ ſiquidem Coloris Amethyſtini & Cocci loquens (o.) ait: *Et cum confecére Conchylia, transire meliùs in Tyrium putant.* Amethyſtinus quidem Color fiebat, eodem Autore, permixtis Pelagio & Buccino ſimul; aitq; (p.): *Summa medicaminum in Libras Vellerum Buccini CC. Pelagii CXI. ita ſit Amethyſtinus Color eximius ille.* Et alibi (q.) ait: *Concharum ad Purpuras & Conchylia eadem quidem eſt Materia, ſed diſtat Temperamento. Duo ſunt genera: &c.* Temperamenti differentiam *Idem* docuiſſe videtur inferiùs, (r.) cum ait: *In Conchyliatâ Veſte cætera eadem ſine Buccino, præterq; jus temperatur Aqua pro indiviſo humani potûs excremento, dimidia, & medicamina adduntur: ſic gignitur laudatus ille pallor, ſaturitate fraudatâ, tantòq; dilucidior, quantò magis vellera eſuriunt.*

(o.) *lib.9.cap.41.* (p.) *lib.9.cap.38.*
(q.) *lib.9.cap.36.* (r.) *lib.9.cap.39.*

§. 9. Conchylium etiam pro Colore intellexiſſe putamus ſuprà, de Purpuræ differentiâ; Teſtaceo ſcilicet Animali, ad Tincturam apto, ibi: (s.) *Calculoſæ appellantur à Calculo maris, mirè apto Conchyliis.* Et ſuperiùs: *Sed unde Conchylii precia, quis, virus grave in fuco, color auſterus in glauco, & iraſcenti ſimilis Mari?* Et anteà (t.) dixerat: *Sed quota eſt portio hæc, reputantibus Purpuras, Conchylia, Margaritas? Parum ſcilicet fuerat, in gulas condi Maria, niſi Manibus, Auribus, Capite, totoq; Corpore à Fœminis juxta Viriſq; geſtarentur? Quid Mari cum Veſtibus? Quid Undis Fluctibuſq; cum Vellere?* &c. Et de Carthagine loquens alibi (u.): *Nunc omnis ejus Nobili-*

tas

tas Conchylio atq; Purpurâ conſtat. Et alibi, (x.) de Coloribus ex Herbis loquens: *Transalpina Gallia herbis Tyrium atq; Conchylium tingit, omnesq; alios colores, nec quærit in profundo Murices.*

(s.) *lib.9.cap.36.* (t.) *lib.9.cap.34.*
(u.) *lib.5.cap.19.* (x.) *lib.22.cap.2.*

§. 10. Quod autem non ſit aliqua Conchæ, ſive Turbi-Species, ad Purpuram inficiendam apta, quæ proprio nomine Conchylium ſpecialiter, diverſumque à Purpurâ & Buccino dicatur; jam ſatis ex ſupra-citatis Locis conſtare cenſemus. Veluti & hoc manifeſtum eſt, quod Conchylium nomen ſit genericum Teſtatorum, ſcilicet Purpurarum, aut proprium Coloris illius purpurei dilutioris, Conchilium appellati, ut ex Capite trigeſimo ſeptimo, ac etiam præcedenti patet, in quo *Plinius* clarè docuit, duo tantùm eſſe Genera Teſtaceorum, ad Purpuras & Conchylia Colores utilia, Buccinum ſcilicet & Purpuram, illorum notas afferens; atque eandem eſſe materiam. At Purpureum à Conchylii Colore, Temperamento tantùm differre: & quod ex Purpurâ ſolùm, absque Buccino, conficiatur: nec non Pelagiam Purpuram ad hunc colorem optimum conficiendum præferri, quæ calculoſa dicebatur: nam Tenienſe levius atque dilutius erat. Prætereà pro quovis genere Colorum nulla alia materia recenſetur à *Plinio,* niſi Purpuræ & Buccini Concharum ex Marinis; nec unquam Conchylii Animalis, ſive Teſtacei, ſuâ ſpecie diſtincti notas vel hiſtoriam, apud aliquem Antiquorum hucusque deſcriptam reperimus.

§. 11. Conchylii verò proprius Color, qui cœruleus erat, dilutior, vel plenior, ab eodem *Plinio* deſcribitur ſimul cum aliis purpureis, colore ſaturatiore variantibus, cum de

Veſtium æmulatione cum Floribus hiſtoriam recitat, ibi: (y.) *In quibus unguento viciſſe Naturam gaudens luxuria, Veſtibus quoque provocavit eos flores, qui Colore commendantur, hos animadverto, Tres eſſe Principales: Unum in Cocco, qui in Roſis micat. Gratius nihil traditur adſpectu, & in Purpuras Tyrias, Dibafasq;, ac Laconicas: Alium in Amethyſto, qui in Violâ: & ipſe in Purpureum, quem Iänthinum appellavimus; Genera enim tractamus, in ſpecies multas ſeſe ſpargentia: Tertius eſt, qui propriè Conchylii intelligitur multis modis: Unus in Heliotropio, & in aliquo ex his ſaturatior; alius in Malvâ, ad Purpuram inclinans; alius in Violâ Serotinâ, Conchyliorum vegetiſſima.*

(y.) *lib. 21. cap. 8.*

§. 12. Ex quâ Deſcriptione Purpureum Colorem eſſe dicimus, qui magis ad rubedinem tendit, ſaturo ſatis Colore, ut Roſæ purpureæ; quem alibi (z.) nigricantis Roſæ colore ſublucentem dixit: alium dilutiorem, ut Violæ marinæ præcocis, quæ ἴον dicitur à Græcis. Altera verò Species Purpuræ illa videtur, quæ ex rubro magis ad cœruleum tendit dilutum, & dicitur propriè Conchylium, ut Heliotropii color vel purpureæ Malvæ; aut magis obſcurum, ut Violæ, Serotinæ, quod eſt, Violæ purpureæ montanæ; de quo *Virgilius:* (a.)

—— *Violæ ſublucet Purpura nigræ;*

qui alibi à *Plinio* Auſterus Color in Glauco, & iraſcenti ſimilis Mari dicitur.

(z.) *lib. 9. cap. 36.* (a.) *lib. 4. Georg.*

§. 13. Colorem hunc Conchylii ſine Buccino fieri, tradit idem *Plinius*, eâ ratione, quia Buccinum ad Rubedinem Roſæ, aut Cocco ſimilem, ferè tendit: Purpura verò magis

Violaceam emittit Saniem. Ideò leguntur verba illa in *Plinio: Rubens color nigricante deterior:* Deinde Pelagio alligari Buccinum, ut ruborem inducat, eâ ratione, quia nimiæ ejus nigritiæ dat Auſteritatem illam, nitoremque, qui quæritur, Cocci, ut Sanguinis concreti ſpeciem referat. Color iſte Tyrius dicebatur; qui, ut melior eſſet, priùs Conchylia conficiebantur Pelagio ſatiatis Velleribus immatura, viridique Cortina non ſatis coćta, ne nimis evaderet nigricans Conchylium; deinde in Buccini Cortinam permutabatur, ut Ruborem ſuperacciperet, atque ita permixtis viribus utriusque alter altero excitaretur Colore, aut adſtringeretur, ut *Idem* refert.

§. 14. Conchylium poſtremò dićtum fuiſſe Colorem hunc, eâ ratione videri poteſt, ut ſicut Oſtrum ab Oſtraceis derivatum eſſe exiſtimatur, ſic Conchylium à Conchis vel Conchulis marinis; quod Etymon *Iſidorus* (b.) habet. Et apud Græcos Κογχύλιον etiam pro omni Teſtaceorum genere, maximè veſco, apud *Pollucem* (c.) dićtum invenitur. Sed clariùs apud *Athenæum* (d.) ex *Epicharmo*, ibi: *ἄγε δὲ παντοδαπὰ Κογχύλια, Λεπάδας &c. affer omnigena Conchylia, Lcpades, &c.* Et inferiùs ex *Diocle:* Κράτιστα φύσιν εἶναι τῶν κογχυλίων πρὸς διαχώρησιν καὶ οὔρησιν, μυάς, ὄστρεα, κτένας, &c. *Ex Conchyliis excellere ait alvo movendo, & lotio ciendo, Mytulos, Oſtrea, Pećtines, &c.* Et inferiùs: *Conchyliorum firmiſſimas Conchas, Purpuras & Buccinum.*

(b.) *lib. 19. Orig. c. 28.* (c.) *lib. 6. c. 15.*
(d.) *lib. 3.*

§. 15. Ex his denique rejicienda eſt eorum opinio, qui *Dioſcoridis* Teſtimonio uti volunt, ex Onychis hiſtoriâ decerpto; ubi, *Crematum,* inquit, *Conchylium idem efficit, quod*

Purpura & Buccinum. Et ſic eſſe ab illis animal ſive Teſtaceum diſtinctum. Sed nos à Purpurâ & Buccino diſtinctum Conchylium hoc eſſe *Dioſcoridis* putamus, non quia ſpecie differat, cum ſit genus Concharum ſive Turbinatorum; ſed quia ſit *genus Paluſtre*, non marinum; ſitque *Aromaticum*, ut *Idem* (e.) refert, depaſcentibus illis Conchyliis Nardum herbam: quod Purpuram & Buccinum haut facere, quisquam refert.

(e.) *lib. 6. de Dorycnio.*

§. 16. Nec minùs quàm alii hoc loco *Dioſcoridem* Conchylium pro genere Concharum ſive Turbinatorum uſurpaſſe cenſemus, ut ex Ipſius hiſtoriâ liquet, & alibi etiam, cum inquit: καὶ πάντα τὰ κογχύλια ὠμὰ καὶ ὄπτα ἐσθιόμενα, καὶ κάραβοι: *Et omnia Conchylia, cruda, quàm toſta comeſa.* &c.

§. 17. Adde, Lacuſtres Conchas, ſive Turbines, ad Tincturam aptas, nemo Antiquorum prodidit. Quare differre à marinis Infectoriis patet, ſicut generis eſſe nomen. Non mirum igitur, ſi *Onychem* eandem à *Plinio* Oſtracium dictam invenimus; Græco forſan more, ex Verbo *Oſtracea*, quod univerſa Teſtacea complectitur, ἀπὸ τοῦ ὀστράκου deductum: ſicut *Oſtrum* dici Purpureum colorem, à Teſtis Marinis latinè, ex *Vitruvio* jam retulimus. Eaſdem Vires crematis Operculis paluſtris Conchylii *Dioſcorides* reliquis marinis Purpuris tribuit.

§. 18. Sic etiam malè intellectus *Plinii* Senſus in Textu adducto ab iiſdem dici poteſt, ibi: (f.) *Et per ſe Conchylio infecta Lana magnopere prodeſt*; Aurium ſcilicet malis; ut etiam apud *Galenum*: κατὰ τρόπους τῆς πορφύρας, ſive κογχυλίου. Et apud *Dioſcoridem*, τὸν δὲ αὐτὸν τρόπον, καὶ κηρύκες καίονται θαλασσίας πορφύρας. *Eodem*, ſcilicet, *modo uruntur Lanæ, marinâ Pur-*

Purpurâ infectæ, ſive *Lanæ flocci*. Illud κρηκίδες idem cum Lanâ Conchylio infectâ *Plinii.*

(f.) *lib.2.cap.83.*

§. 19. Nec etiam Conchylium à *Plinio* Buccini loco acceptum putamus, ut alii; ſed potiùs pro ipsâ Purpurâ, ex quâ tingitur; cum Purpura ſine Buccino non rubeſcat, & ad cœruleum tendat, ut ſupra diximus de Pelagiis, Calculoſis dictis ab eodem *Plinio* (g.) qui varias Purpurarum ſpecies recitat ibi, à loco nomine deſumto. Quare de Conchylio jam ſatis dictum cenſemus.

(g.) *lib.9.cap.37.*

§. 20. Sed non minor in Muricis nomine Obſervatio facienda eſt, ut quid ſit propriè, quomodo ſit à *Plinio* aliisq; acceptum, & quid differat à Purpurà, vel Buccino, innoteſcat. Murex nomen pro communi genere Teſtatorum omnium, à *Plinio* (h.) uſurpatum, ex *Mutiani* verbis liquet, de Remorâ loquens, ibi: *Mutianus Muricem eſſe latiorem purpurâ, neque aſpero, neque rotundo ore; neque in angulos prodeunte roſtro, ſed ſimplice conchâ, utroque latere ſe colligente.* Et alibi (i.) pro Turbinatorum genere: *Firmiores jam Teſtâ Murices, & Concharum genera.* Et pro Turbinatis ad Infecturam idoneis, ibi (k.): *nec quærit in Profundo Murices.* Et alibi (l.) dixit: *Muricum vel Conchyliorum Teſtæ cinis.* &c. Quo loco Murex pro Purpurâ, vel Murex pro Turbinatis, & Conchylium pro univerſis Conchis acceptum videri poteſt. Et paulò inferiùs: *Muricum genera ſunt, quæ vocant Græci Colycia, vel Corythia:* nos Corycia legeremus, à verbo κορύκια. Quod autem Muricem *Plinius* (m.) pro Buccino dixerit, ſatis manifeſtè apparet, cum de Purpuris loquutus eſt: *Latent, ſicut Murices.* Qui locus ex *Ariſtotele* (n.) transſcriptus, habet pro Verbo *Muri-*

cis,

cis, Κήρυκες, ibi: τὰ μὲν γὰρ ὀστρακόδερμα πάντα φωλεῖ, οἱ ὄντα τε ἐν τῇ θαλάττῃ πορφύραι, καὶ κήρυκες. Ut etiam inferiùs habetur: *Mutuoq; attritu Lentorem cujusdam Ceræ ſalivant, ſimili modo, ac Murices.* *Ariſtoteles* habet, κηριάζουσι γὰρ καὶ οἱ κήρυκες: & idem *Plinius* (o.) de Ortu Teſtaceorum habet; *Quæ durioris Teſtæ ſunt, ut Murices, Purpuræ, Salivario lentore*, &c. Et inferiùs: *Purpuræ & Murices, ejusdemq; generis, Vere pariunt.*

(h.) *lib.9.cap.35.*
(i.) *lib.9.cap.33.*
(k.) *lib.2.cap.2.*
(l.) *lib.32.cap.7.*
(m.) *lib.9.cap.37.*
(n.) *lib.5.d.Nat.An.c.51.*
(o.) *lib.9.cap.51.*

§. 21. Apud Poëtas pro qualibet Acuminatâ Re acceptum reperimus Muricis nomen. *Virgilius:*

—— —— *& acuto in Murice Remi*
Obnixi crepuére. —— ——

Inde Muricatum nomen *Plinius* (p.) tribuit Sylveſtrium Carduorum cacuminibus, cum dixit: *Utriq; Folia pauca ſpinoſa, muricatis cacuminibus.* Quare impropriè Buccino Muricis nomen impoſitum videtur, cum propter aculeatos ſive muricatos orbes, & extuberantes, quos habet Purpurarum genus, qui non ſunt in Buccino, ut idem *Plinius* ait, potiùs Purpuræ convenire ſit dicendum; etiamq; Muricis Epitheta omnia ab Auctoribus tributa, Purpuris convenire pateat, ſicuti Purpura Tyria apud Poëtas; ut apud *Ovidium:*

Nec quæ de Tyrio Murice Lana rubet.

Et *Horatius:* *Muricibus Tyriis iteratæ vellera Lanæ.*
Et alibi: *Te bis Afro Murice tinctæ veſtiunt Lanæ.*

(p.) *lib.23.cap.13.*

§. 22. Tyrius color Purpureus à *Plinio* Dibapha Purpura dictus eſt, quia bis tingebatur, & Pelagio primum Vellus mergebatur; quo nomine Purpura intelligitur, alio nomine Pelagia, ut diximus ex eodem *Plinio* (q.) Unde Tyrius Murex, eſt Purpura in Tyro tincta, ex Tyriis Muricibus, ſcilicet Purpuris. Sed & Murex Tyrius pro colore ipſo acceptus fuiſſe, patet; ut etiam apud *Virgilium*:

—— —— *Tyrioq; ardebat Murice Lana.*

(q.) *lib.9.cap.37.38.*

§. 23. *Nomenclator Latinus* in Verbo Murex, Muricem à Græcis Conchylium dici putat, eſſeque Purpuræ ſpeciem, Menſis expetitam. Ad id *Martialem* citat, qui ait:

Sanguine de noſtro tinctas Ingrate lacernas
Induis: & non eſt hoc ſatis; Eſca ſumus.

Et *Iſidorus* (r.) refert: *Murex Cochlea eſt Maris, dicta ab acumine & aſperitate, quæ alio nomine Conchylium nominatur, propter quod circumciſa ferro, lacrymas coloris purpurei emittat, ex quibus Purpura tingitur, & inde Oſtrum appellatum; quod appellatum, quod hæc Tinctura ex Teſtæ humore elicitur.*

(r.) *lib.2.origin.cap.6.*

§. 24. His igitur jam ſatis apertè oſtenſum fuiſſe arbitramur, Conchylium & Muricem eſſe Purpuræ Synonyma, quorum alterum à Conchis nomen, alterum ab Aculeis, qui alio nomine Murices dicuntur, ſumſiſſe apparet: Purpuræ verò appellationem non ſolùm pro ipſo Teſtaceo Animali accipi, ſed etiam pro ipsâ Tincturâ, & Colore; ut à *Plinio*, (s.) ibi: *Sed quota hæc portio eſt, reputantibus Purpuras, Conchylia, & Margaritas?* Et alibi (t.): *Conchylia & Purpuras omnis ora atterit.* Et (u.) de Carthagine: *Nunc omnis ejus Nobilitas*

Conchylio atque Purpurâ conſtat. Et alibi, (x.) de Purpureo colore pingendo verba faciens: *Si Purpuram facere malunt, cæruleum ſublinunt, mox Purpuriſſum ex Ovo inducunt.* Purpuriſſum verò, *eodem autore*, fit ex Cretâ Argentariâ & Purpuræ Sanie, quod idem cum Oſtro *Vitruvii* eſſe videtur. Et alibi (y.) manifeſtiùs: *Concharum ad Purpuras & Conchylia eadem eſt materia, ſed diſtat Temperamento;* ut ſuprà retulimus.

(s.) *lib. 9. cap. 35. initio.* (t) *ibid. in fine.*
(u.) *lib. 5. cap. 19.* (x.) *lib. 35. cap. 6.*
(y.) *lib. 9. cap. 36.*

§. 25. Quid autem diſtet Purpura à Conchylio, nunc videndum. Nam etiam objicitur, *Plinium* diſtinxiſſe Purpuram à Conchylio, cum inquit: *Sed quota hæc portio eſt, reputantibus Purpuras, Conchylia, & Margaritas?* Et alibi: *Conchylia & Purpuras omnis ora atterit:* & ſimilia aliis locis. Quibus reſponſum jam eſſet ex ſupra memoratis obſervationibus; ſed diſtinctiùs, ut omnia ſint clara, addimus: Purpuram his locis à Conchylio eſſe diſtinctam, non Materiâ, quæ eadem eſt, (ut idem *Plinius* retulit, cum dixit: *Concharum ad Purpuras & Conchylia eadem eſt materia,*) ſed Colore. Nam, ut diximus, Purpura rubeſcit; Conchylium ſimile Violæ Purpureæ. Adde; Purpureo colori admixtum eſt Buccinum, quo carere aſſeritur Conchylium. Sed aliis locis à Conchylio diſtinguitur, tanquam Species à Genere; ut, cum idem *Plinius* dixit: *Lingua Purpuræ Logitudine digitali, quâ paſcitur perforando reliqua Conchylia:* Et ſimilibus, ibi, *Conchylia* genus eſt non modò Turbinatorum, ſed etiam Concharum omnium.

§. 26 Hâc denique Diſtinctione facilior remanet Purpuræ Animalis inveſtigatio, à nemine traditi; ſed nec forſan à

quo-

quopiam Recentiorum viſi, quamvis illius Hiſtoria ſatis ab *A-riſtotele* (z.) & *Plinio* (a.) deſcripta inveniatur: quam hîc inſe-rere & repetere, multum moleſtumq; eſſet. Illas tantùm no-tas recitabimus, quas in teſtaceo à Nobis propoſito, obſervare licuit.

(z.) *lib. 4. de N. Animal. c. 4. & lib. 5. c. 15.*
(a.) *lib. 9. cap. 36. & inde.*

§. 27. Teſta hæc parva eſt, Regiæ Nucis, adhuc carnoſo



Murex trunculus. L.

tegmine obducta, magnitudine, (quanquam ejusdem gene-ris inanes Teſtas quadruplo majores habeamus, atque maxi-mas aſperiores) à vulgari *Purpurâ Rondelitii*, quæ Neapoli Sconciglio appellatur, in his differens; Cortice quippe ru-goſiore, colore fuſco, aut cinericeo, veluti Limo obducto, quandoque flavicante, & Faſciis distincta oblique purpu-

raſcentibus, Turbinis effigie oblongiore, ac etiam anguſtiore, eò quod non ſit ita ventricoſa: Aculeis illis, ſive Muricibus longis, caret; verùm illorum vice brevibus & craſſioribus horret Tuberculis, quo etiam modo & reliquæ Teſtæ ſupradictæ *Rondelitii* Purpuræ non raró inveniuntur. Non enim omnes illius generis Teſtæ longioribus Clavis horridæ obſervantur; ſed brevibus admodùm Tuberculis, ut in Noſtrâ propoſitâ.

§. 28. Differt etiam, quia bevi admodùm tubulo, vel Canali, oris pars ſuperior definiatur, ut in Buccino, ſed circa columellæ partem aſpero, & auriculato vel umbilicato, à tribus vel quatuor prominentiis, quæ anteà Tubuli ſive Canales, ex quâ Lingua ad uſum proferebatur, fuére. Ab his dependent tuberoſæ, atque parùm muricatæ Striæ, Teſtam per longum exaſperantes, ut in extremâ oris margine, quâ Teſtæ os definitur, obſervatur: quibus ſignis illius Annos numerari poſſe cenſemus; quamvis Orbes *Ariſtoteles*, & illum ſequutus *Plinius*, (b.) velint eſſe, cum dixit: *Patet per Orbes, quibus totidem, quot annos habent*, &c. Non enim ex *Orbibus*, quibus claviculatim contorquentur Teſtæ omnes, Anni earum obſervari debent; cùm Nos totidem Orbes, & quandoque plures, habere parvas & exiguas ejusdem generis Teſtas, quos maximas habere, obſervavimus in plerisque Turbinatorum generibus, ſi Orbis nomine quamlibet orbiculatam ventricoſam partem, claviculatim intortam Teſtarum, eſſe dicas, ut Græcè legitur, καὶ καθ' ἕκαστον ἐνιαυτὸν φανερά ἐστιν ἡ αὔξησις τοῖς διαστήμασι, τοῖς ἐν τῷ ὀστράκῳ τῆς ἕλικος. Et Latinè: *Et in ſingulos Annos manifeſtum eſt Incrementum Diſtinctionibus illis, in Teſtaceo Volutarum.*

(b.) *lib.9.cap.36.*

§. 29.

§. 29. Nos autem, quot habent Diſtinctiones in Volutis, quæ ab antiquioribus Oris, ſive Canalis ad Linguæ uſum Extuberantiis ortum ducunt per longum Volutarum, tot Annos habere, certiorem notam eſſe putamus. In *Rondeletii* Purpurâ clavatâ quamlibet muricatam [Oram] anni illius Incrementum apertiùs oſtendere dicimus. In Buccino verò Striato, ac etiam in Turbine Magno *Ejusdem*, quem nos *Plinii* Buccinum cenſemus, & in vulgari Buccino, manifeſtius apparet augmentum Teſtæ, ob lævitatem, & laxiorem, minùsque frequentem limboſam extuberantiam, quæ dimidium ferè ſingularum Volutarum orbem intercipere obſervatur.

§. 30. Hujus limboſæ majoris Extuberantiæ cauſam eſſe putamus, quia cum ſtatuto tempore quotannis lateant Conchæ, Scopulis Oris margine adhærente, vis illa, Teſtæ incrementum addens, compreſſu adhærentiæ Saxo, non poteſt marginem oris Teſtæ produceve in orbem; quare craſſeſcere circa extremum oris oportet. Manifeſtum eſſe apparet, quia non paucas habuimus Teſtas villoſas omnes, præter recentem illam additionem ex Anni præteriti diſtinctione, quæ lævis & nitida erat; novumque incrementum eſſe, nemo ambigit. Atque ex hâc obſervatione non tantùm Annos ſeptem Purpuras vivere, ſed bis ſeptem & plures, eſſe cenſendum: Buccinas verò, ob celeriorem auctionem, & laxiores diſtinctiones, pauciores.

§. 31. Nec obſtat *Ariſtotelis* & *Plinii* auctoritas; cum Teſtæ omnes, ut diximus, parvæ atque maximæ, totidem habeant claviculatos Orbes, magnitudine illorum annoſæ ab infantibus differentes, nec habitu aut proportione va-

riantes. Imò in exiguis quandoque plures Orbium anfractus obſervavimus; quos deinde atteri ob tenuitatem, aliis ſupercreſcentibus, cenſemus, ob Animalis volutationem, & Teſtæ imbecillitatem. At mediocris magnitudinis Teſtæ non minores Orbes habent maximis: quod ſi eſſet, longioris Turbinis eſſent majores parvis; quod contrà obſervatur, cùm omnes eundem Orbium numerum, & ſuam Symmetriam retineant.

§. 32. Cauſa eſſe poteſt, quia Teſtæ, quæ brevi & obtuſo turbine ſunt, & Effigie ventricoſæ, oris marginem producendo, non gradatim in claviculæ ſpeciem, per inferiorem orbem adſcendunt; ſed per eundem orbem pluries circumaguntur, deſcendendo potiùs quàm adſcendendo, ut ventrioſiores efficiantur, non longiores. Teſtæ verò, quæ magis oblongo ſunt turbine, aliæ bis eundem orbem ambiunt, aliæ ſemel tantùm; ut ſunt Turbines illi tenues digitali craſſitie, qui detectos habent Orbes, atque in Perſico Turbine, à Nobis aliàs exhibito, & aliis Turbinibus verioribus apparet. Qui Conchas Perſicas Cochleam *Rondeletii* maximam rugoſam, Muricem Coraloidem *Ejuſdem*, & ſimiles obſervavit, illarum Oris marginem imam, circa Orbem levem inveniet, atque Orbem magis operientem, ita ut Annis potiùs obtuſiore Turbine annoſior Teſta, minùsque conſpicuo inveniatur. Quare fallax eſt Orbium numerus ad Obſervationem Annorum.

§. 33. Sed ad Teſtam redeamus propoſitam. Intùs lævis eſt, Vitri modo ſplendens, colore obſoletè purpureo, vel cœruleo, aut flavicante, obliquè percurrentibus purpuro-nigris Maculis ex Oris margine in internâ ventrioſâ

par-

parte. Operculum habet rugoſum, tenue, fuſcum, animalis capiti annexum & innatum, incrementum accipiens cum ipſo Animali: nota eſt, rugoſa ſuperficies orbiculatim. Animal continet, effigie Cochleæ terreſtris, carne flavicante, denſis Maculis, ex cœruleo purpurantibus depicta, aliis exiguis luteis immixtis, præſertim in cervice. Corniculis verò à Terreſtri Cochleâ variat: hujus quidem in acutum deſinunt, & Oculi non in ſummo, ut in Terreſtribus, ſed ſupra medium Corniculorum obſervantur, ubi cornicula veluti reſecta, per longum tenuiora efficiuntur. Oculis verò aliquando tueri Corniculis ſupra illos incurvatis, ut in Picturâ notatur, obſervavimus; ac etiam partem illam, ſupra Oculum, Corniculorum contrahere, ut nonniſi reliquum appareat, in Oculos deſinens, crasſius. At quando intueri putatur recta, tota exſerta & firma Cornicula, extenſaque habet.

§. 34. Differt etiam, quia Linguam ex Canali exſerit, parum extra Canalem, Cochleis deficientem, colore purpureo, & ab illâ Aquam exſpuere vidimus, fiſtulæ modo, contrahentem, branchiarum vicem explentem. Cum graditur, Limbo utitur extenſo, ut Cochlea, Corpus deinde contrahens, iterumque Limbum producens, quem latum habet. Teſtam aliquando gaudet circumagere, illam in totum extollens, corpore in baſis modum ad hoc elato. Colore tantùm obſcuriore differt ab aliis vulgaribus aculeatis Purpuris *Rondeletii*, dictis etiam *Sconcigli Spinoſi* vulgò; ſicut & hæc etiam *Sconciglio* appellatur, ſed aliis diſtinctiùs vulgò *Caroſa* nomine dicitur, quaſi ſpinis detonſa & carens, quam copioſè Neapoli propè Urbem in arenoſis Piſcatores venantur, Pulmonum fruſtulis, junceis Cratibus ſuperimpoſitis allicientes, ut *Ariſtoteles* olfacere cenſuerit.

§. 35.

§. 35. Hanc Littoralem potiùs, in Arenoſis degentem, quamvis in profundo Mari, diceremus Purpuram, purpuro-cœruleum colorem fundentem: ſed quare non omnes Purpuram fundant ejusdem generis, & eodem tempore captæ inter quamplurimas, quæ tot anno capiuntur, & ſemper aliquæ colorem habeant, hucusq; ignorare fatemur.

§. 36. Venales habentur in foro quotidie; Cibis quidem expetuntur, elixæ ac toſtæ, vel aliis modis. Capiuntur etiam propè Miſenum Promontorium in Puteolano Mari, loco, nunc vulgò *Mare Mortuum* appellato, ubi Maris æſtus non recipitur, Portusq; cenſetur olim ab Agrippâ & Auguſto conſtructus. Hujus tantùm Teſtæ effigies ab aliis Recentioribus vario nomine impoſito conſpicitur depicta; à nemine verò hucusque interno Animali obſervato, nedum purpuream Saniem fundente. *Plinius* Puteolanas Purpuras laudat: an de his intellexerit, aliorum ſit judicium. Capiuntur etiam toto Maritimo tractu Auſtrali, in Sinu Formiano olim dicto, nunc Molæ oppidi, ubi primùm in Mensâ toſtas eſitantes Purpuram fundere, & digitos, & linteos inficere obſervavimus.

§. 37. Harum uſum, ſicuti Buccinorum, non tantùm propter inſcitiam ac magnam impenſam ac moleſtiam neglectum putamus; ſed ob maximam Fuci copiam, quem vulgus *Roccella* denominant, quo nunc Infectores pulcherrimam Purpuram conficiunt, Sericia inficientes variis colorum gradibus, minore labore ac impensâ, & maximo lucro: tantùmq; nobis hodie cùm Eſca ſint, non poſſunt *Martialis* exprobrationem evitare, cum inquit:

Sanguine de noſtro tinctas, Ingrate, lacernas
Induis; & non eſt hoc ſatis: Eſca ſumus.

§. 38.

§. 38. Tarenti hucusque accepimus, Officinarum veſtigia Purpurariorum conſpici, atque etiam ex Teſtarum fragmentis acervos eſſe, quæ olim forſan, ut *Plinius* refert, Auguſti tempore fuére, Nepotis Cornelii teſtimonio, ibi: (c.) *Me*, inquit, *juvene Violacea Purpura vigebat, cujus libra denariis centum veniebat, nec multò poſt rubra Tarentina.*

(c.) *lib. 9. cap. 29.*

§. 39. Rubens Color nigricante deterior, à *Plinio* dicitur; niſi Color ſit nigricans adſpectu Sanguinis concreti, qui non ſine utriusque, Purpuræ & Buccini, mixturâ fieri poterat, quâ vel Amethyſti, vel Tyrii, juxtà medicaminis quantitatem, Color fiebat, ut idem *Plinius* (d.) retulit.

(d.) *lib. 9. cap. 38. & inde.*

CAPUT II.


Cochleæ Iänthinæ cum Animali, exactior Icon & Hiſtoria.

§. I.

DEpinximus atque deſcripſimus hanc, à Nobis aliàs obiter obſervatam Cochleam minùs rectè. Nunc autem Anno M DC IX. in oppido, dicto *Torre della Nuntiata*, in Veſuvii Montis radice, ad Maris oram, inter Pompejanum & Stabii Ruinas, Majo Menſe, flantibus Occidentalibus, maximoque Maris impetu illic æſtuantibus undis, abjectas inter alia Cochleas multas, ex his adhuc viventes colligi curavimus: Maris Aquâ repleto quodam vaſe, Conchisque

injectis, ut vivere poſſent, illarum Animal obſervavimus prodiens.

§. 2. Ab omnibus Cochlearum Terreſtrium & Maritimarum Animalibus reliquis, quas hucusque vidimus, hujus Animal valdè differt. Huic Penis arrecti facies eſt, glandem habens, in cujus extremo Fabam exprimit, rimam pro ore in medio, fœmininum ferè Sexum referens, rubeſcente magis internâ parte, cum reliquum Animal ex obſoletâ cœruleâ Purpurâ candicet: circà medium utrimque Appendices habet binas, quarum altera exterior major; earumque acies magis ſaturo colore purpuraſcunt.



§. 3. Ima pars Animalis propè teſtam rugoſa eſt, & denique limboſa, ut in congeneribus; non tàm oblonga, nec acuta, ſed rotundior; ſub quâ copioſam, extuberantem ſatis, atque veluti cartilagineam Spumam vitream fundebant omnes, non ſecùs, ac aquâ diluto ſapone multo, & concusſâ, atque paleæ vel alterius rei exiguâ fiſtulâ intinctâ, & inflatâ, paulatim evenit, ut puerorum mos eſt Neapoli; quæ Sphærulæ veluti vitreæ inflantur, & denique à fiſtulâ dimittuntur ex feneſtris. Jocum non jucundum!

§. 4. Copioſum ſpontè evomunt Conchæ iſtæ ſuccum Purpureum Violaceum, ut ſeipſas inficiant & colligentium manus: & paxillo, vel acu ſauciatâ Animalis cervice, tres aut

aut quatuor guttæ ex teſtâ decidunt, & quidquid tangunt, inficiunt, purpureo cœruleo colore admodùm hilari, ut nihil ſuprà commendari poſſit ; charta vel album aliud Lineum infectum, quandoque variat maculis, colore ad rubrum inclinantibus : adeòque infectura hæret, ut vix lotione eximi queat ; undè & ipſa Teſta infecta reperitur, quæ, ut diximus aliàs, tenuis eſt, circa imas Volutas candicans, tribus tantùm Volutis conſtructa, Limbo circà umbilicum elato admodum, quod nec in aliis Cochleis obſervatur, & ab illis differre hâc etiam notâ conſpicitur.

CAPUT III.

Turbo Exoticus Umbilicatus.



§. 1. HUnc Romæ apud quendam induſtrium hominem cum aliis non negligendis teſtis vidimus, atque raritate allecti, iconem delineavimus, notasq; addidimus. Differt ab aliis Recentiorum, & à me deſcriptis, quod obtuſus ſit cacumine, circa medium tenuior ; deindè æneæ nolæ effigie in latitudinem ſe diffundens, atque, quod præcipuum huic eſt, in medio Umbilicatus.

§. 2. Craſſa eſt Teſta, gravis, cortex ſuperior rugoſus, candicans, ad pallidum vergens; maculis obliquis roſeo colore variegatus tam circa Umbilicum, quàm in reliquis Volutis; deraſus, vel cortice extimo mundatus, argenteo Margaritarum nitore quodammodo ſplendet, non admodum, ut in parvis noſtratibus, nitido.

§. 3. Quinque Voluminibus definitur: inter quæ veluti limbus apparet. Similis quodammodò Turbo hic videtur pyramidali Trocho *Aldrovandi;* ſed illius nulla exſtat delineatio, nec Umbilicus apparet; triunciali Diametro quoque verſu, ut æquilaterum retuſis angulis trigonum repræſentare videatur.

CAPUT IV.

Buccinum parvum noſtras, cum Animali.

§. 1. BUccinum hoc frequentiſſimum in noſtris ſcopulis littoralibus Neapoli, & in Foro Piſcatorio; nam eſculen-



tum eſt, atque cibo gratum, facilisq, digeſtionis. Hujus Animal magnum eſt reſpectu Teſtæ; Caro ex flavo albicat; Corpus

pus variegatum obſcuris micis purpureis, & infernè parum ad cœruleum tendens; Limbo, ut Cochleæ, graditur lato, in extremâ poſteriore parte biſulco, veluti inſectum, caudato. Cervix craſſa eſt, lata, in cujus lateribus Cornicula, ut in Purpurâ diximus, in medio veluti reſecta; in quibus oculi eodem illo modo inſunt, atque natura: Linguam habet longam admodùm, canaliculatam, ex quâ Aquam hauſtam exſpuit: & cum graditur, elatam gerit, & incurvam ex adverſo. Convolvitur confeſtim quoquo verſu, & ſupinè cum impetu quodam, inter alia congenera manens in catino repoſita, & vivens, ignoramus an præ timore contactûs aliorum.

§. 2. Teſta levis eſt, parva, & obeſo admodùm ſuperiore orbe, pollicis ad ſummum magnitudine, flavicans: ſed circà Volutarum imum caſtaneis notis diſtincta; reliquum verò Teſtæ variegatum, undoſis candicantibus parum lineis. Centri pars cælata conſpicitur, ut ſunt Turbinuli illi Striati oblongi; quare obſervandum eſt, an minimæ aliâ ſint effigie?

§. 3. Operculum animal habet, ut congenerùm: & mortuo, vel evanido animali aliquâ de causâ, vacuam teſtam Cancellus hoſpitatur, ut etiam in variis teſtis obſervatur.

§. 4. Natatilis Teſta eſt cum ipſo animali, ac etiam cum Cancello in aquâ impoſita; & Cancelli pes major eſt ſiniſter. Amplo eſt ore teſta, atque parum in extrema ſtriato. Si quis Neritem hanc eſſe diceret, nihil niſi magnitudo refragari poſſet; reſponderet magis, quàm Cochlearum tot ſpecies non turbinatæ, ab aliis propoſitæ.

CAPUT V.

Buccinum Exoticum parvum.

§. 1. TUberculis nigro-flaventibus, & Lineis elatis candida Teſta exornatur; quæ caſſa eſt, & marmoreâ effigie, candidaque.




§. 2. Figura parum abeſt à noſtratibus parvis Buccicinis; nec aliud referre ex inani Teſtâ exterâ poſſumus.

CAPUT VI.

Lepas Exotica variegata; & Lepas nova, Myrti Morbus.

§. 1. MAgnitudine noſtrates grandiores æquat Exotica; & elegans Lepas hæc ab aliis memorata, magis cava, rotundiore ambitu, nec in angulos deſinens, colore ad extremam

mam teſtæ partem flavente, veluti faſciata, maculis fuſcis binis per interſtitia exornata, interiùs candicante Alabaſtritidis lapidis modo; in Umbilico verò iterum flavo & ſplendido colore, animalis umbram fere deſcribente. Exteriùs verò ob-



liquè rugoſa parum, colore ex pallido candicante, Maculis radiatim nigro-flaventibus. In ſupernâ parte flaveſcit ex ruffo; Apexque candicat. Dono accepimus à N.V. ac Doctisſimo *Franciſco Peregrino*, Romæ, cum aliis etiam Rarioribus, Buccino ſupra-dicto, ut Cochleâ Marmoreâ, aliisque.

§. 2. Sed quia hujus Lepadis occaſione in mentem venit aliud Lepadis genus, non deſcriptum, terreſtre, quod Mor-



bus eſt, aut Scabies, ſive Impetigo Arborum & fruticum; idemque animal eſt ex morbo Myrti genitum, teſtudinatum: Hoc loco iconem & obſervationem addere non ingratum ſtudioſis fore exiſtimavimus.

§. 3. Romæ, Anno 1610. in domeſtico Viridario domûs *Joan. Baptiſtæ Raimundi*, Viri doctisſimi, & Arabicæ Linguæ, & aliarum periti, ſupra templum Sancti Andreæ *delle Fratte* appellatum, in quâ degebat, ex Myrti ramis imis adhuc viventes

ventes ferè teſtudinatas Lepades plurimas hærentes collegimus, quarum Iconem ejusdem magnitudinis expreſſimus, effigie teſtudinis terreſtris, illiusq; more, tabellis anguloſis conſtructas, colore cinereo ad Purpuram inclinante, infernâ parte, quâ hærebant caudici, cavas, quarum aliquot adhuc ſervamus, præter illas, dono Amicis communicatas; nec aliud ex eis notare potuimus.

§. 4. Impetiginis, Scabiei, & Morbi in Fico & aliis, ortum & cauſam *Theophraſtus* de Cauſis Plantarum lib. 5. & de Plantis lib. 4. tradidit: quem Curioſus Lector videre poterit.

CAPUT VII.

Turbo Terreſtris non-deſcriptus.

§. 1. RArior hic, & præter morem à Naturâ elaboratus, atque à nemine obſervatus: cujus Orbes non in ſiniſtram partem convolvuntur, ut in omnibus Teſtaceis marinis ac terreſtribus; ſed contrario modo ex ſiniſtrâ in dexteram Orbes in amplum os, juxta orbis proportionem, deſinunt; inciſuram in imo habens, Buccinorum modo, octo vel no-



vem orbibus definitur, in imo flavicantibus, reliquis cinereis ex flavo, & in ſummo magis candicante noviſſimo.

§. 2. Stamine conjuncti acu videntur orbes, candidis junctis ſive Lineis inter orbes micantibus, quibus depinguntur; & oculis gratiores redduntur, ob punctorum diſtinctionem.

§. 3. Animal intus, Cochlearum modo, exiguum, ideò neglectum, continet, quamvis Cochlearum uſum præſtare poſſet.

poſſet. Teſta levis eſt. Oritur non modò in ſaxis montanis, & rupibus; ſed etiam hortorum, ac etiam domorum parietibus aëri expoſitis.

CAPUT VIII.
Turbo alter Minor.

EST & alter, ſimili modo ex ſiniſtrâ parte in dexteram convolutus, non adeò frequens, qui nitidâ teſtâ eſt, & adeò



ſplendidâ, ut arte expolita cenſeatur, flavicante ex pallido cinereo, quatuor tantùm orbibus compoſita, oblongiore & anguſtiore Ore, quia ſublimiùs volutæ eriguntur, & ideò oblongiore teſtâ eſt proportione, quamvis paucioribus orbibus ſit conſtructa; iisdem locis oritur, ejusdem magnitudinis, ut icon eſt, tàm ſuperior, quàm Cochlea deſcribenda.

CAPUT IX.
Cochlea Terreſtris Turbinata, & ſtriata.

§. I. QUia in modum Turbinis producit Volutas, Turbinatam Cochleam appellare libuit. Quinque conſtat Anfractibus: & quia diſtinctiùs Orbes percurrit in longum, more Turbinum producitur teſta, Umbilicum ferè re-

 linquens

linquens in centro, & eodem orbium ordine ſtriantur orbes perquam densè, ut elegantiſsima videatur. Os rotundum



habet, quemadmodum orbis deſinit; geritque Operculum craſſum & cohleatum, ut in marinis obſervatur. Colore ex pallido flavicant magis, minusvè.

§. 2. Terreſtres has Cochleas, ut ab aliis diverſas, & rariore effigie, relictis aliis multis, huc intrudere, ad excitandum ſtudioſorum animos, & addere viſum fuit, qui Montes tantùm habent propinquos, Mare verò longo intervallo disjunctum, ut pulcriora quærant.

CAPUT X.


Cochlea Marina Exotica Marmorea.

§. 1. VAriat hæc à maritimis noſtratibus craſſitie teſtæ, atque hiatu, qui non rotundus, nec à columellâ, ut in aliis, definitur, ſed parte mediâ teſtæ, rectâ ferè Lineâ, & planâ, obliquè veluti reciſa teſta conſpicitur: & in anteriore, & rotundâ parte cochleæ parum infrà extremum obſervantur denticuli plures elati; ac etiam ex adverſo in medio lineæ veluti Concharum cardines; quare Operculo quodam craſſo fortè tegi poſſe ſuſpicamur, alio quàm in noſtratibus modo.

§. 2. Differt etiam, quia unicâ tantùm Volutâ ſive circuitio-

cuitione definitur, illâque vix conſpicuâ. Maculis in cute nigris, magnis, inordinatis inſignitur, & per obliquum rugis etiam vix apparentibus circà os exaſperatur.





§. 3. Huic ſimilem *Aldrovandus* pro *Nerite* in ſuo de Teſtaceis volumine, tertio & quarto Loco depinxit, colore variantem: quantùm verò à Nerite Antiquorum diſtet, jam aliàs diximus, tàm brevem craſſamque teſtam natare minimè poſſe; nec illum obſervaſſe cenſemus.

§. 4. Variant magnitudine, teſtæ craſſitie, nam alias vidimus nigras foris, intùs candidas, tenuioris teſtæ, quæ clathrata Lineis erat per rectum & obliquum: alteram candidam intùs, craſsâ teſtâ & majore, foris colore cinereo, maculis parvis albis, rugis obliquè profundioribus, ut quodammodo aſpera ſit tangenti.


Caput XI.

Concha πολυλεπτογίγγλυμος.

§. 1. PLuribus hæc teſta notis ab aliis Conchis differt, propriamque habet notam, innumeram ſeriem exiguorum cardinum, rectâ per obliquum lineâ, & admodùm longâ, Teſtæ connexum, efficientium; quod hactenus in aliis minimè obſervavimus.

§. 2. De hâc etiam *Plinium* (e.) ſenſiſſe, dici poſſet, Concharum varietates enumerantem, cum ad differentiam earum, quæ brevi nodo ligantur, ut ſunt vulgares, ait, *(Toto latere Connexis)* quod in hâc rectè conſpicitur; quamvis de Solene etiam intelligatur.

(e.) *lib. 9. cap. 33.*



§. 3. Differt Cervice ad latum obliquè dependente: quod quamvis aliis teſtis etiam ſit commune, quia hujus longiùs à connexu abeſt, planâ remanente inter cervicem & cardines teſtâ veluti reciſâ, & complanatâ, Lineis multis undoſis ſculptâ; non parum ab aliis evariat: craſſa inſuper eſt reſpectu molis teſta, externè admodum densè ſtriata, ac etiam obliquis denſioribus rugis exaſperata, ut imbricata

etiam

etiam dici poſſit. Internâ parte circâ os tantùm brevibus ſtriis connectitur dentium vice; reliquâ cavâ, levi.

§. 4. Ex hujusmodi, Conchæ in Montanis obrutæ, atque temporis diuturnitate corruptæ, terrâque illâ in ſaxeam naturam versâ, lapides illi, Cordis figuram æmulantes, conſtruuntur, cavam Conchæ partem replentes, quos vulgò Bucardia vocant: quorum plures apud nos varietates, juxtà Concharum & locorum differentias, effigie, materiâque provenientes videre licet; quamplurimas apud *Imperati* Muſeum ampliſſimum.

CAPUT XII.


Concha rarior Anomia, Vertice roſtrato.

§. 1. ANomias Conchas illas eſſe dicimus, quarum altera pars cohærens aliquomodo, ab alterâ, Effigie aut magnitudine, aut utroque modo differat. Ἀνόμιος ſiquidem contrarium eſt Verbi ὅμοιος, quod eſt, *Similis, Par, Æqualis;* ſcilicet *Diſſimilis, Impar, Inæqualis.* Ideò inter cæteras notas à *Plinio* (f.) memoratas, quibus Concharum varietates diſtinguit, plurimas, cum Inæqualitatis Notam non invenerimus, Anomias Conchas appellare libuit; vel *Plinii* more illas, *Vertice Roſtrato* dicere; quarum etiam Differentiæ ſunt plures.

(f.) *Loco antè-cit.*

§. 2. Nunc de hâc in Civitate Andriæ repertâ, verba faciemus: in quo Loco ſi quis curioſior perquirere vellet illas etiam Rariores, non paucas inveniet adhuc incognitas & inviſas: Naturamque in his efformandis multùm luſiſſe animadvertet.

§. 3. Hujus igitur Effigies lævis, depreſſa, parùm oblonga, ab aliis Conchis in hoc præcipuè differens, quod altera Conchæ pars oblongior eſt, collum, cervicemque totam,




quæ oblongior eſt, & rotundior, atque acutior, prominetque, ſuprà cervicem alterius diffundit, ut infrà illius collum altera cervix connectatur. Concha parva eſt, candida, tenuis, obliquè parum additamentis rugoſa, ſed non ob id aſpera, ſed levis.

§. 4. Repletam invenimus candidâ *tophaceâ Concretione,* quâ totus ille clivoſus locus, ſive collis, eſt editus, qui non magis terrenâ concretione tophaceâ, quàm variarum concharum fragmentis, & integis etiam innumeris, eſt compactus, hanc & alias in vallecula illâ, ſive foſsâ quâdam, parum ſubtùs Eccleſiam D. Mariæ de Andriâ, extra urbem milliari ſitâ, excepimus: illic enim, ob gratias à Sanctiſſimâ DEI Genitrice acceptas referendas, fuimus, ſicuti & alii magnâ cum frequentiâ vota ſolventes, concurrunt quotidie. Eccleſia quidem illa magnis donis & Miraculorum Signis ornatur; nec non ſumtuoſâ Structurâ, ipſa Eccleſia & Monaſterium.

§. 5.

§. 5. Hujus ſimilem apud doctiſſimum *Imperatum* noſtrum in ſuo Muſéo, rerum omnium Naturæ ſatis copioſo Theſauro, obſervavimus; quæ margine erat parum undoſa,



& longiore Conchæ parte canalem vix conſpicuum in dorſo, altero verò medio, contrario modo extuberante: omnesque peculiari notâ ſunt præditæ, quod cervice prominente roſtratâ, pertusâ, oriuntur, quâ turbinatorum more Aquam haurire & exſpuere, ſylveſtris Lepadis, aut Auris marinæ modo, poſſunt. Icon magnitudinem æquat. Huic *ſimilem* majorem multò, *Lapideam*, depinximus in *Prima parte*, nomine *Conchæ gibboſæ*.

CAPUT XIII.

Altera Neptunia major III. Imbricata.

§. I. DUplò majorem alteram Neptuni reperimus Albanen. diœceſis etiam undoſa, margine in *Tophaceis* ſive ſabuloſis illis *Concretionibus*, in quibus Caſtelli ſive Arcis foſſa eſt, & maxima variarum Teſtarum congeries conſpicitur:

tur: nec unam repieries integram; ſed omnes inter ſe congeſtas & implicatas, ut non Naturâ, ſed maris impulſu fractas, & ejectas cum Sabulone, & molem illam tophaceam conſtruxiſſe teſtarum fragmentis repletam, ſit cenſendum: quare Mare aliquando variis in regionibus excreviſſe & æſtuaſſe ſatis conſtat, locaque immutata.

§. 2. Mirum quidem eſt, hujusmodi teſtas recentes, & vivas hodiè non reperiri, quamobrem è longâ Maris alluvione profectas, & advectas cenſemus potiùs, quàm Naturam deſiiſſe, ſimiles parere. Tres pollices longa, duos lata eſt teſta, habetque in medio veluti alteram concham ſuper-elatam imbricis modo, ut in aliis obſervatur, præſertim Pectunculis.

CAPUT XIV.


Concha Anomia IV. margine Undoſa.

DIffert hæc à ſuperiore congenere colore ad pallidum inclinante, quæ etiam repleta erat Concretione candidâ terreâ, & quod margine ſit undosâ in ſpiras contortâ, M. literam repræſentante, dorſumque habeat elatum, non cavum; alterâ parte triplici canali diſtinguatur. Sed omnes cervicem habent perforatam. Ex *Imperati* noſtri Muſéô habuimus inter alias.

CAPUT XV.

Concha altera Anomia, ſtriata, τρίλοβος, *rarior I.*

§. 1. EX eodem genere & hæc videtur, major Concha & craſſior; cujus obeſa Valva minor eſt, atque tribus ſimul



junctis Teſtis, mediâ magis extuberante, conſtructa videtur, & ſenis ſtriis, totidemque ſtrigibus in ſingulis Lobis, quibus margines denticulatæ fiunt, inſecta; præterquàm pars interjecta inter Lobos, quæ rectâ lineâ marginem definit. Alterâ parte, quâ valvæ in caput prominet, medium habet Lobum depreſſiorem, & oblongiorem, reliquis à latere brevioribus, & elatis, eodemque modo ſtriatis; quâ parte tota Concha expanſis alis aviculam incurvam repræſentare videtur. Conchæ cortex, caſtaneo colore fuit, ut ex fragmento, quod in cervice adhærebat, obſervavimus.

§. 2. Lapideam quidem naturam interior pars, cujus effigiem damus, adepta erat, colore ob vetuſtatem flavicante;

te; intus verò, candicante. Et hæc ex ditisſimo naturæ promptuario *Imperati.*

§. 3. Harum & parvas, Avellanæ nucis magnitudine, binas habemus, quarum altera paucis, altera verò pluribus, & tenuibus ſtriis eſt diſſecta, reliquis eandem effigiem retinentibus: orbiculatæ ſunt, & metallicâ ſubſtantiâ concretæ.

§.4. Hæ omnes Anomiæ brevi Nodo ligantur, ob Cervicis anguſtiam: & forſitan à *Plinio* (g.) ſub illâ differentiâ, his verbis expreſsâ, *(brevi Nodo ligatis)* quæ multis Concharum generibus etiam convenit, comprehenſæ, ut ſuo loco dicemus.

(g.) *lib.9. cap.33.*

§. 5. Aliam exiguam admodùm, lapideam, idem *Imperatus* communicavit, quæ veluti gemma nitida eſt, cervice cœruleâ, reliquis obſcurioribus, & lateribus flavicans.


§. 6. Differunt ab aliis ſupradictis, quod cervix foramine caret; & ideò quamvis Teſta ſit affinis, animal non idem naturâ erit, cum hiare oporteat, ut aquam haurire, & exſpuere poſſit, non habens teſtam in cervice perforatam, ut quatuor ſuperiores.

CAPUT XVI.

Concha Faſciata, Gemmeâ Concretione repleta.

§. I. MOroſi videntur Nobis quidam, qui has & ſimiles Concretiones negant, ex Teſtaceorum internâ cavâ parte ſibi effigiem parare, atque Naturam contendunt, propriis initiis Animantibus aut Vegetantibus, Lapideas haſce

haſce aut conſimiles perficere Conchas & Buccinas, Cochleasque, atque innumera alia.



§. 2. Non negamus, quin multa alia ſint, propriâ formâ ſic concreta; ſed nullam illa habent cum cæteris rebus naturalibus, quæ vixerint, communitatem, nec aliquid ſimile rectè, aut perfectè referunt, ut ſunt, quæ locum corruptæ rei replent.

§. 3. Inter alia & hæc teſtimonium perhibebit veritatis, rarisſima Conchæ concretio, quæ non externam, ſed internam tantùm partem refert, Lineis obliquè ductis gradatim, ut in Teſtæ internâ parte fuerant, & exiguas Cervices, Lieam-



que Cardinum & marginis. Tota terreâ cruſtâ, & veluti ſordida, colore ochræ foris eſt; intùs verò prope marginem, ab alterâ ex Valvis, quæ forſan perforata, aut fracta fuit, origo

 ſtilla-

ſtillati & ingreſſi humoris apparet, in Cryſtallini lapidis Speciem, Electri, aut Chryſolithi colore, atque in plures anguloſas connexas pyramides concreti. Quod ſi humor ille vegetam habuiſſet naturam, & extremam partem ſplendidam, & propriâ effigie inſignitam efformaſſet; non ſordidam, ac alienam Conchæ induiſſet, ut manifeſtè apparet.

§. 4. Nos hujusmodi Concharum internas repletiones ex variis lapidum, & tophorum generibus concretis, ac etiam Concharum variis generibus, Cochlearum, Turbinum, aliarumque rerum quamplures habemus; ex quibus refellitur iſtorum opinio, cùm maximè, quia in multis adhuc Teſta viget cum ſilice interno; tùm etiam, quia fragmenta Teſtarum plerumque reperiuntur, & in integris interna concretio non omnem vacuum implevit, ſed inanem medium locum reliquit, ſe in anguloſas gemmas contrahens per circumferentiam.


§. 5. Hujus etiam copiam fecit ditiſsimus ille naturalium rerum promus noſter *Imperatus*, apud quem varias gemmeas concretiones & varii lapidum generis Teſtas, Cochleas, Buccinas, Concham margaritiferam, Nautili ſpeciem; pedem, & ungulam, Parteſq; plurium Animalium immutatas in lapideam naturam videre poteris.

CAPUT XVII.

Concha Exotica, margine in Mucronem emiſſa.

§. 1. PEculiare huic rariori, quod præter Strias, aliis Conchis communes, quæ huic læves & latiores duplò ferè ſunt ſtrigibus; ſtriæ ipſæ iterum ab anguſto, & elato limbo, intùs fiſtu-

fiſtuloſo, ſupra illarum dorſum decurrente in alias tenues novenas ſtrias efformantur, & loco ſtrigium eſſe videntur: & Conchæ margo extrema Roſtrata efficitur ſingulis novenis ſtriis, quæ internâ parte cavæ apparent.



§. 2. Conchæ Cervix magna eſt, & craſſa, ut clauſa Teſta ſe tangat cum alterius valvæ cervice, mediumque locum occupat conchæ, quæ circà illas in latus ampla fit obliquè, ut diametrum æquet, habeatque ternas connexiones pyxidatas; quarum minima, quæ proximior majori limbo, ſive roſtro eſt, media major, tertia longior: In imâ omnium ſtrige, rugoſa obliquè Lineis apparet concha.

§. 3. Hanc *Plinium* noviſſe, vel ſimilem, cenſeri poteſt, & deſcripſiſſe ſub illâ notâ, *margine in mucronem emiſſa*; quamvis hæc in plures deſinat mucrones, totaq; margo mucronata; quare Concha *μαχαιρεῤῥαβδώτη*, appellari poteſt. Quatuor uncias diametrum æquat. Concha tota candida, non nimis craſsâ eſt Teſtâ, quam Romæ habuimus; & ſimilem *Imperatus* habet.

CAPUT XVIII.

Concha Natatilis Νηριτώδης *minima*, *Perſicæ dictæ Recentiorum congener*; *& Varietates aliæ Exoticæ.*

§. I. SItnè Concha hæc, vel potiùs Cochleæ natura, ſive ſuâ ſpecie ita exigua, vel potiùs infans adhuc & tenella, dubitamus. At quod à Perſicis differat, aſſerere poſſumus. Concha eſt, unguis majoris digiti magnitudine, unguis tenuitate, ſed fragilior, colore ex pullo candicans, amplo admodum hiatu, ut infrà ſe turbinem colligat. Caret illo Lunato ſinu, circa columellæ ſummum, quo Lingva exſeri poſſit, ut in congeneribus.






§. 2. Animal intus habet magnum: ſed quia non recens, ſed exſiccatum in Ipsâ Concha vidimus, non aliud, quàm quod tripli-

triplici veluti Loliginis oſſiculo munitum eſſe obſervavimus; quorum aliquod Operculum, & carni annexum eſſe, non dubitamus.

§.3. Omnes quidem Teſtas, quæ convolvuntur turbine, Operculum habere obſervatum eſt; nec niſi dimoto illo ſaxis adhæreſcunt, ut jam *Ariſtoteles* docuit, præter Aurem marinam illam, quam nos Veneris aurem diximus; cui quamvis ſit Conchæ vertex muricatìm ſive turbinatìm intortus, & cochleatus in conchas; deeſt tamen Operculum, quia non animal habet, turbinatorum generi ſimile, ſed Lepadum, quibus natura illud ademit, ſaxum pro illo, cui adhærere prorutelâ poſſint, tribuendum; & pro tubulo, ad linguæ uſum, Foramina, quæ plura habet.


§.4. Hanc *Imperatus* noſter nobis dono dedit; nec non & alios congeneres exoticas communicavit; de quibus, quia locus eſt, agemus, notas tantùm varietatis addentes, cum ex illarum picturâ ſatis Teſtæ differentia colligi poſſit.

§.5. Prima & major, longa eſt ſemipedem, & unciam, lata palmũ, colore ex cinereo flavicans, intùs pallida, nitida, circa



columellam externè rugoſa, aſpera, & magis flavicans, turbine infrà baſim poſito, ut vetuſtate minùs ſemper promineat, & in-

& includatur. Natat in Aquâ, ut congeneres, additoque pondere circa interiora, lata magis pars altera oppoſita, velificare videtur; ventoque impelli poteſt. Altera magis rugoſa, foris colore ex fulvo ad caſtaneum vergente, intus candicat; ſed Zonis diſtingvitur flavis & cinereis, turbine prominente, ex canali, diſtinguente Volutas duas, quibus teſta contorquetur. Natat, ut ſuperior: minor verò duplò, ſed craſſiore Teſtâ. Lunatæ ſunt in extremo columellæ, ad Linguæ uſum.




CAPUT XIX.

Concha Exotica Vertice muricatim intorto.

§. 1. DEſcribuntur à *Plinio* Concharum genera, in quibus magna ludentis Naturæ varietas obſervatur, & nos quotidiè in admirationem adducimur, varias intra manus noſtras ex variis locis habentes, ut qui omnium Icones, & Deſcriptiones tradere vellet, maximum admodum Volumen impleret, extra aliàs ab aliis deſcriptas.

§. 2.

§. 2. Hanc mutilam, unâ tantùm valvâ imâ, dono accepimus Romæ à *Fabricio Chriſtiano*, reconditarum rerum Viro curioſo, ac Argentariæ officinæ domino, inter alia plura, & perpulchra Teſtacea. Hujus ſimiles noſtro mari haud conſpicuas ſe præbent: quare Exoticam Concham, ſicuti alias, eſſe non dubitamus: ac à *Plinio* forſitan illis verbis comprehenſa, *(Vertice muricatìm intorto, vel ad Buccinam recurvis,)* cervice quidem retorquetur, ac ſi non Concha, ſed Cochlea fieri deberet.




§. 3. Nec aliud dicere poſſumus de eâ, niſi quod craſsâ ſit Teſtâ, & albicante, ac etiam ob vetuſtatem exesâ; in cujus ſuperficie rubri Coralii corniculatum ceſpitem, latâ ac tenui radice, veluti ſi cera liquefacta rubra ſuperinducta eſſet, Teſtæ ſuperficiei, natura excitavit; vel ſi Coralii materies initiò molle quid, ac muſcoſum viſcidum initium habuiſſet, ut opinamur.

CAPUT XX.

Concha utroque Latere ſe colligens, Exotica.

PArva eſt, unciam longa: anguſta Teſta, lævis; obliquè circa medium extuberans, ac ſi anulo cincta eſſet: rimam



pro ore habet lævem. Craſſa Teſta eſt, candida, diaphana, ſplendens: & cum ſit exotica, nihil aliud referre poſſumus, niſi varietatem, quâ naturæ ſolertiam admirandam proponimus. Animal exiguum: nec profundè contineri in ipsâ Teſtâ, dijudicamus ex *Imperati Muſéo.*

FINIS.

INDEX

INDEX
In Columnæ Librum de PURPURA.

Prior Numerus Caput; alter Paragraphum denotat.

A.

Ætas Teſtaceorum. vid. T.
Amethyſtinus Color quomodo fiat? I. 8.39.
Animal Purpuræ. vid. P.
Animalium Partes. vid ibidem.
Anni Teſtaceorum. vid. T.
Anomia Concha. vid. C.
Arborum Morbus, Lepas. VI. 2.
Auris Marina. VXIII.3.
—— —— *Aquam exſpuit, & quomodo.* XII 5.
XVIII.3.
—— —— *ad Lepades ſpectat.* XVIII.3.
—— *Veneris.* ibidem.

B.

Bucardia propriè quid? XI. 4.
Buccinæ Lapideæ. XVI. 1.5.
—— *Vivaces non ſunt.* I. 30.
Buccini Neapolitani Operculum. IV. 3.
—— *Teſta.* I. 29.

Buccinum Exoticum parvum.	*V.*	*toto.*
—— *Neapolitanum parvum.*	*IV.*	*toto.*
—— *ad Purpuram rubram parandam ſumtũ.*	*I.*	*19.39.*

C.

Cancellus, Teſtam ingrediens.	*IV.*	*3. 4.*
Cardines multi in Conchâ πολυλεπτογιγγλύμῳ.	*XI.*	*1.*
Carduorum Murices, i. e. Aculei.	*I.*	*21.*
Caroſa Italis quid?	*ibid.*	*34.*
Cervix Cochleæ Iänthinæ ſauciata, Purpurã fundit.	*II.*	*4.*
Cocci Color qualis?	*I.*	*13.*
Cochlea Marina exotica marmorea.	*X.*	*toto.*
—— *Rugoſa maxima Rondeletii.*	*I.*	*32.*
—— *Turbinata & Striata terreſtris.*	*IX.*	*toto.*
Cochleæ Iänthinæ deſcriptio.	*II.*	*toto.*
—— *Lapideæ, ut videntur.*	*XVI.*	*1.4.5.*
—— *Terreſtris Cornua & Oculi.*	*I.*	*33.*
Color Amethyſtinus. vid. A.		
—— *Purpureus. vid. P.*		
—— *Tyrius. vid. T.*		
—— *Violarum. vid. V.*		
Concha Anomia, Roſtrato vertice.	*XII.*	*toto.*
—— —— Τελλοβος *ſtriata.*	*XV.*	*toto.*
—— —— *margine Undoſa.*	*XIV.*	*toto.*
—— *Faſciata, gemmeâ Concretione repleta.*	*XVI.*	*toto.*
—— *Gibboſa.*	*XII.*	*5.*
—— *exotica, Latere utroque ſe colligens.*	*XX.*	*toto.*
—— *Margaritifera lapidea.*	*XVI.*	*5.*

Concha

Concha exotica, margine in Mucronem emiſſa.	*XVII.*	*toto.*
—— *Natatilis Neritodes minima.*	*XVIII.*	*1.*
—— *Neptunia major.*	*XIII.*	*toto.*
—— *Neritodes.*	*XVIII.*	*toto.*
—— *Perſica.*	*I.*	*32.*
	XVIII.	*1.*
—— Πολυλεπτογίγγλυμος.	*XI.*	*toto.*
—— *exotica, Vertice muricatim intorto.*	*XIX.*	*toto.*
Conchæ Petrefactæ. vid. P.		
Conchylia Nardum depaſcentia.	*I.*	*15.*
Conchylii Nomen.	*I.*	*1.3. 14.*
—— *& Purpuræ differentia.*	*ibid.*	*25.*
Conchylium, i. e. Color.	*ibid.*	*9.*
—— —— *Infecturæ genus.*	*ibid.*	*8.*
—— — *pro Teſtaceorum Summo genere. I. 4. Tincturæ aptorum.*	*ibid.*	*10.*
vel etiam Veſcorum.	*ibid.*	*14.*
Concretio Cryſtallina.	*XVI.*	*3.*
—— *gemmea.*	*ibid.*	*toto.*
—— *terrea.*	*XIV.*	
	XVI.	*3.*
Concretiones Tophaceæ in Teſtis.	*XII.*	*4.*
	XIII.	*1.*
Cordis Figurâ Lapides unde?	*XI.*	*4.*
Cornua Cochleæ terreſtris.	*I.*	*33.*
—— *Purpuræ.*	*ibidem.*	
Cortice deraſo pleraq; Teſtacea pulcrè ſplendent.	*III.*	*2.*
Cryſtallina concretio.	*XVI.*	*3.*

D.

Diphaba Purpura. vid. P.

E.

Erroris Confeſſio genuina. II. 1.

F.

Fabricii Chriſtiani laus. XIX. 2.
Faſciata Concha. vid. C.
Ficûs (arboris) Morbi. VI. 4.
Fiſtuloſæ Striæ. vid. S.
Flores quidam purpurei. I. 11.12.
Fucus, Purpuræ ſubſtitutus. ibid. 37.
—— *Roccella dictus.* ibidem.

G.

Gibboſa Concha. XII. 5.

H.

Hortus Cardinalis Sanneſii. Epiſt. Dedic.
Hyacinthus Sanneſius. ibidem.

I.

Iänthina Cochlea. vid. C.
Imperati Laus & Muſéum. XI. 4.
XII. 5.
XV. 2.
XVI. 5.
XX. in fine.

Impe-

Impetigo Arborum, Lepas, VI. 2.
Infectores. vid. Purpurarii.

L.

Lapidefacta. vid. Petrefacta.
Lapides, Cordis figurâ. vid. C.
Lepas Exotica variegata. VI. 1.
—— *Nova, Myrti Morbus dicta.* ibid. 2.3.
—— *Sylveſtris, quomodo Aquam exſpuat?* XII. 5.
Lingua Purpuræ, Aquam ducens. I. 34.

M.

μαχαιρορραβδώτη *Concha.* XVII. 3.
Mare Mortuum in Italiâ. I. 36.
—— *olim fuit, ubi Tellus firma nunc eſt.* XIII. 1.2.
Margaritifera Concha. vid. C.
Morbi Ficûs (arboris). VI. 4.
Morbus Myrti. ibid. 2.3.
Mortuum Mare. vid. Mare.
Mucronata Concha. XVII. toto.
Mulli optimi qui? I. 4.
Murex, Vox ambigua. ibid. 1.3.20.
—— —— *pro toto Genere Teſtaceorum.* ibid. 20.
—— —— — *Purpurâ.* ibid. 21.
—— —— — *Re Acuminatâ.* ibid. 21.24.
—— *quid?* ibid. 23.
—— *Coraloides Rondeletii.* ibid. 32.

Murex

Murex Sacer, i.e. Color Purpureus. Epiſt. Dedic.
Muſéum Imperati. vid. I.

N.

Nardo Conchylia veſcuntur. I. 15.
Neptunia Concha. vid. C.
Neritarum Teſtæ quales? X. 5.

O.

Oculi Cochleæ Terreſtris. I. 33.
—— Purpuræ. ibidem.
Onyx, i.e. operculum Turbinis Indici. I. 15. 17.
Operculum Auri Marinæ deeſt. XVIII. 3.
—— — Buccini Neapolitani. IV. 3.
—— — Cochleæ Terreſtris Turbinatæ. IX. 1.
—— — Purpuræ. I. 33.
—— — Turbinatorum. vid. T.
Orbes Teſtarum quid? I. 28.
ex Orbibus Teſtarum an Ætas earundem cognoſci poſſit? ibid. 28. 31. 32.
Orbium Convolutio in Turbinatis pleriſq; verſus Siniſtram. VII. 1.
Oſtrea, pro genere Teſtaceorum. I. 17.
Oſtri Nomen. ibid. 7. 14.
Oſtrum quid, aut qualis Color? ibid. 6. 17. 23.
—— —— Vitruvio? ibid. 24.

P.

Partes Animalium petrefactæ. XVI. 5.

Pectun-

Pectunculorum ſtructura.	XIII.	2.
Pelagium, Pelagia quid?	I.	22.
Penis facie Cochlea Iänthina.	II.	2.
Franc. Peregrini laus.	VI.	1.
Pes Petrefactus.	XVI.	5.
Petrefacta varia.	ibidem.	
Petrefacta Conchæ vulgò habitæ, non omnes tales ſunt.	XI.	4.
	XVI.	1.
Πολυλεπτογίγλυμος *Concha.*	XI.	toto.
Polyporum Cibus.	I.	4.
Purpura Aquam exſpuit.	ibid.	34.
——— *Dibapha, unde dicta.*	ibid.	22.
——— *Menſis illata.*	ibid.	23.36.37.
——— *Rondeletii.*	ibid.	27.29.
——— *duplex, Violacea & Rubra.*	Epiſt.	Dedic.
Purpuræ Ætas an ex Teſtâ noſcatur?	I.	28.
——— *Animal ante Columnam à nemine deſcriptum.*	Epiſt.	ad Lect.
	I.	10.26.36.
——— *quot Annos vivant?*	ibid.	30.
——— *& Conchylii differentia.*	ibid.	25.
——— *Deſcriptio.*	ibid.	27.33.
——— *Icon.*	ibid.	27.
——— *Locus Natalis.*	ibid.	36.
——— *Motus.*	ibid.	34.
——— *Oculi.*	ibid.	33.
——— *Operculum.*	ibidem.	
——— *Precium magnum olim.*	Epiſt.	Dedic.

Purpuræ Vox ambigua. I. 1.3. 24.
——— *Uſus neglectus.* ibid. 37.
Purpurariorum Fraudes. ibidem.
——— ——— *Officinæ olim.* I. 38.
Purpurei Coloris differentiæ graduales. ibid. 11.12.13.
——— — *Flores recenſentur.* ibid. 11. 12.
Purpuriſſum unde fiat? ibid. 24.
Puteolanæ Purpuræ. ibid. 36.

R.

Joh. Bapt. Raimundi laus. VI. 3.
Roccella, Fuci ſpecies. I. 37.

S.

Sanneſii Cardinalis Hortus. Epiſt. Dedic.
Saxis quando adhæreant Teſtacea. vid. T.
——— *quomodo adhæreant Turbines. vid. T.*
Scabies Arborum, Lepas. VI. 2.
Sconcigli. I. 34.
Soleniſtræ qui? ibid. 7.
Spuma Cochleæ Iänthinæ. II. 3.
Striæ fiſtuloſæ Conchæ Exoticæ. XVII. 1.
Succus Cochleæ Iänthinæ. II. 4.

T.

Teſtacea quotannis Saxis fixa hærent. I. 30.

Teſta-

Teſtaceorum Ætas an, & unde cognoſcatur?	I.	28. 29. 31. 32.
Teſtæ lapideæ.	XVI.	5.
Teſtarum differentia ſequitur differentiam contenti Animalis.	Epiſt.	Dedic.
——— *Orbes. vid. O.*		
——— *Volutæ. vid. V.*		
Tophaceæ Concretiones. vid. C.		
Τείλοβος Concha. vid. C.		
Trochus Aldrovandi.	III.	2.
Turbinata quomodo differant inter Se, & à Terreſtribus Cochleis?	Epiſt.	Dedic.
——— *omnia habent Operculum.*	XVIII.	3.
——— *Cochlea Terreſtris.*	IX.	toto.
Turbines Lacuſtres, ad Tincturam inepti.	I.	17.
——— *Lapidei, ut videntur.*	XVI.	4.
——— *Saxis quomodo adhæreant?*	XVIII.	3.
Turbinis Indici Operculum.	I.	15. 17.
Turbinum Orbes. vid. O.		
——— *Teſtæ.*	I.	31.
Turbo minor.	VIII.	toto.
——— *Perſicus,*	I.	32.
——— *Terreſtris non-deſcriptus.*	VII.	toto.
——— *Umbilicatus Exoticus.*	III.	toto.
Tyrius Color quid?	I.	22.

V.

Veneris Auris.	*XVIII. 3.*
Violarum Color.	*I. 12.*
Umbilicatus Turbo. vid. T.	
Ungula Petrefacta.	*XVI. 5.*
Voluta Teſtarum.	*I. 29.*
ex Volutis an Ætas Teſtaceorum cognoſci poſſit?	*ibidem.*

FINIS.

ANNOTATIONES AD COLUMNAM DE PURPURA.

ANNOTATIO I.

Ad Titulum:

De Fabii Columnæ, Lyncei, Perſonâ ac Scriptis: deq; Academiâ Romanâ Lynceorum, ac hujus Fundatore, curioſisſimo Principe, Federico Cæſio.

Breviarium:

§. 1. Fabii Columnæ *Natales: Scripta:*
§. 2. *Polymathia: Laudes:*
§. 3. *Locus Habitationis.*
§. 4. Lynceus *cur dictus? Lynceorum Academia Romana,*
§. 5. *hujusq; Fundator, Princeps* Cæſius:
§. 6. *& Socii, Viri Celeberrimi.*
§. 7. Cæſii *in rem literariam Liberalitas, & Scripta.*

§. 1.

F*Amiliæ* COLUMNARUM, in Italiæ ac Orbis Urbe Româ, maximè-illuſtri, ſplendorem non parvum addidit *Fabius Columna, Lynceus, Nobilis Neapolitanus, genere Romanus,* qui circa initia præſentis ſeculi floruit, & Scripta quædam eximii commatis edidit, cum Iconibus pluſculis, propriâ ſuâ manu æri inciſis. Suntq; hæc:

I. *Phytobaſanus,* ſive Plantarum aliquot, quoad vires & faciem, Hiſtoria verior, ab aliis non animadverſa, quàm quæ apud Theophraſtum, Dioſcoridem, Plinium, Galenum, aut alios habetur. Acceſſit Piſcium aliquot, Plantarumq; novarum Hiſtoria: Edita Neapoli, An. 1592.

II. *Ecphraſis* Minùs cognitarum rariorumq; ſuo Cœlo orientium Stirpium; quâ non paucæ à Theophraſto, Dioſcoride, Plinio, Galeno, & Antiquioribus aliis deſcriptæ, præter illas, de quibus in Phytobaſano deſcriptæ, præter illas, de quibus in Phytobaſano actum eſt, declarantur. Nec non de Aquatilibus, aliisq; Animalibus libellus. Edita iſtorum una pars Romæ, Ann. 1606. altera ibidem, Ann. 1616.

III. *Tractatus de Purpurâ*, ab Animali Teſtaceo fusâ; deque hoc ipſo Animali, & Teſtaceis quibusdam Rarioribus aliis: cum Diſſertatione, inſtar Appendicis, additâ, de Gloſſopetris. Romæ itidem editus, Ann. 1616. Quem Libellum perelegantem, cum rariſſimè ampliùs, & non niſi in Bibliothecis Germaniæ perquam-paucis exſtare deprehenderim; jam à plusculis Annis de Verbo ad Verbum transſcripſi, ex Bibliothecâ privatâ magni illius Germaniæ Medici, *Dn. D. Dan. Sennerti,* penes Filium ejus, *Dn. D. Michaëlem Sennertum, in Acad. Wittebergenſi, Medicinæ Prof. Celeberrimum,* ſuperſtite; Capita quævis in Paragraphos diſtinxi; Figuras Æri ab Autore inciſas, meis ſumtibus in Belgio, Buxi Ligno exſculpi curavi, ut quævis tantò commodiùs ipſi Textui, Locoq; competenti poſſet inſeri; & cum Indice Rerum & Verborum ſufficiente, Annotatiunculam hanc & ſequentes addidi: quas boni conſultum, nec totum id inſtitutum meum, Illuſtrem hanc Purpuram à Nocte oblivionis vindicandi, improbatum iri à Lectore benevolo, certiſſimè confido.

Et

Et IV. *Annotationes Additionesq; in Opus Univerſum Hiſtoriæ Medicæ Mexicanæ,* vel Novæ Hiſpaniæ, à *Nardo Antonio Reccho* editæ in Folio, Romæ Ann 1651. & *Cardinali Franciſco Barberino* dedicatæ.

§. 2. Ex cujusmodi Scriptis, aut pluſculis fortè reliquis, ſicut peculiaris quædam *Nobilisſimi Autoris* Polymathia, & curioſa prorſus, conſtansq; in obſervandis Naturæ deliciis, ad Rem Botanicam præſertim, & Zoologiam Marinam ſpectantibus, induſtria effulget, ſalvâ Autoritate ſplendoris Sui Gentilitii: ita præſtaret, in Superlativo, quàm Poſitivo, ſcripſiſſe de eo *Marcum Aurelium Severinum,* itidem Neapolitanum, parte 4. Zootomiæ Democrit. pag. 350. dum ait: *Fabius Columna, Naturæ indagator nobilis:* Rectius pleniusq; *Johannes Faber* (ipſe etiam Academicus Lynceus) judicium de eo fert, his verbis (Hiſtor. Mexican. pag. 550.) *Dn. Fabius Columna, Lynceus, ſedulus maximè rerum naturalium ſcrutator; qui non modò in Juris Scientiâ multum pollet: ſed in Matheſi (Opticâ præcipuè) ac Plantarum Animaliumq; Cognitione Neapoli nunc ab omnibus, ceu Oraculum conſulitur:* ex quibus patet ſimul, quo Loco vixerit.

§. 3. Veruntamen & Romæ aliquando, aut iteratò eundem *Columnam* egiſſe, colligo ex Ipſiusmet verbis, dum libr. de Purp. cap. 17. §. 3. ſcribit de Conchâ quadam Exoticâ: *Craſsâ eſt Teſtâ, quam Romæ habuimus.*

§. 4. *Lynceus* verò dicitur, à Lynce, Symbolo Academiæ vel Sodalitii Literarii Lynceorum, cujus Membrum Illuſtre ac Socius exſtitit, inſtituti ac ſuſtentati Romæ, non ſine magnis Impenſis, ab *Illuſtrisſimo ac Excellentisſimo Federico Cæſio, Montis Cœlii Marchione, S. Angeli, S. Poli, & Aquaſparthæ Duce,* omnium ſcientiarum genere ornatiſsimo, & litera-

teratorum Mecænate ſummo: qui verô inter ſurgentes tam Regii inſtituti glorias, Ann. Chr. 1630. Ætatis ſuæ quadrageſimo ſaltèm quinto, mortuus eſt; hóc acerbiùs lugendus, quò funeſtiùs tota iſthæc Academia viſa eſt, cum *Cæſio* ſuo Autore, iterum cecidiſſe.

§. 5. Interim Scopus *Laudatisſimi Principis* fuit hic, ut non minùs Collegæ, Lyncis inſtar, argutos in Myſteria Naturæ ferrent Oculos, addito, ut par eſt, Studio Mathematico (vid. Hiſt. Mexic. p. 532.) quàm Principes alii, ad promovendos hos aut ſimiles Conatus, invitarentur; & depoſito omni præjudicio, per Experimenta fide dignisſima, longè latèque proſpiceretur Emolumento Rei literariæ publico.

§. 6. Ideoque non Viros modò Celebriores in iſtam Collegii Societatem facilè pellexit; in quorum numero mienent Experientisſimus *Johann-Baptiſta Porta*, *Ingenioſisſimus Galilæus à Galilæis* (proh quanta Cœli phyſico-mathematici ſidera!) *Casſianus à Puteo, Claudius Achillinus, Franciſcus Stellutus, Johannes Faber, Bambergenſis, Simpliciarius Pontificius*, qui ſcripſit Expoſitiones Animalium Novæ Hiſpaniæ, ad *Recchi* Hiſtoriam Mexicanam; & noſter ille *Fabius Columna*.

§. 7. Sed magnificis imprimis ejusdem *Principis Cæſii* ſumtibus, & Prodigalitati penè dixerim, debetur, quòd amplisſimum iſtud *Recchi* Opus, poſt quadraginta Annorum moras, (vid. hiſtor. Mexican. pag. 789.) quibus ſub prælo latuit, tandem ab Academicis, Anno 1651. in publicam lucem eſt productum. Imò Societates ſimiles integras foris etiam conſtituere, in omnibus Mundi partibus tandem, & ſpeciatim in Africâ & Americâ, Sagacisſimus Princeps conſtituit; ſed res eventu vix fuit ſecundata. Interim curioſum *Ipſe* à ſcriptione calamum non abſtinuit, quo minùs Volumen

quod-

quoddam *de Plantis Imperfectis* ſcriberet, ut ex Hiſtor. Mex. p.874. colligo. Nec non *Tabulas Phytoſophicas*, ſeu Viridarium omni Plantarum genere, & ſelectâ prorſus doctrinâ refertum; quod à nemine anteà viſum, & deliteſcens quaſi in Tenebris, *Franciſcus Stellutus, Lynceus,* publicæ tandem Luci impertiit, exſtans in Hiſtoriâ Mexicanâ, à paginâ ejus 905. usq; ad 950. poſtquam nempe *Principi iſti* nihil fuit antiquius cariusq;, quàm à ſeverioribus Studiis, negociorumque Curis, (Hiſt. Mex. p. 903.) ſuas in Hortis delicias habere. Et ex contextu Tabulæ illius paſſim patet, quamplura alia ſcripta *Principem* amplisſimâ ſuâ Mente eſſe meditatum: qualia ſunt, *Volumen Taumatombriæ*, ſive de Meteoris inſolentioribus (Hiſt. Mex. p. 903.) *Cæliſpicium, ſeu de Stellis*; (ibid.) *Matheſis Phyſica*, ſive de Prodigiis artificioſis ex Geometriâ, Matheſi, Technicis: (Hiſt. Mex. p. 951.) *Theatrum Plantarum* (ibid.) *Encyclopædia* (ibid.) & plura alia: ut, ſi *Hunc* non dedecuit literaria iſta Sedulitas, qui inter Proavos & Majores connumeravit Imperatores, Reges, Pontifices, Principes, Patriarchas, Archiepiſcopos, Epiſcopos, Præſules, Fortisſimos Exercituum Duces; neque aliorum Principum Gloriæ ſimilis Curioſitas officere ullo modo poſſit.

ANNOTATIO II.

Ad Capitis I. §. 3.

De Nomine Purpuræ, aliquibus Ambiguitatibus involuto, & pluſculis aliis, circa id ſpectandis.

Breviarium.

§. 1. Purpuræ *Vox ambigua*.
§. 2. Purpura *propriè quid?*
§. 3. *Impropriè, pro Veſte tinctâ: Magiſtratu:*
§. 4. *Colore ſaturè-rubro Teſtaceorum aliorum;*
§. 5. *imò Cutis Humanæ, Exanthematibus rubris, & Milio Febrili ſparſæ.*
§. 6. Purpuræ *Etymon quintuplex quæſitum.*
§. 7. Πορφύρα. *Hinc Purpura: ac inde Purpurare: Purpurati: Purpurarii: Purpureus.*
§. 8. Purpureum *pro quovis Pulcro; Comâ, Nive, Mari, &c.*
§. 9. Purpurina. *Purpuriſſa: Purpuriſſum: Purpurites.*

§. 1. SOllicitum Se non ſine causâ præſtat *Autor* in reſolvendis Ambiguitatibus, quæ Vocem Purpuræ circumſtant: nam multis ait Confuſionem, & cauſam errandi peperiſſe. Quod periculum proin ut impoſterum declinet, convenienter ſatis hîc admonet, *Purpuræ Appellationem* ſumi nunc *propriè*, nunc *impropriè*; nunc *in genere*, nunc *in ſpecie.*

§. 2. Sed hæc aliquantò clariora, ut puto, ex Tabulâ hâc noſtrâ fient. Nimirùm, ut ordinatiùs agamus, *Purpuræ Vox* ſumitur vel

[*Propriè*; partim
{ *in genere*, pro Animali Teſtaceo Marino Turbinato qualicunque [vel Cochleâ marinâ, vulgò Conchylio] Sanguinem aut Succum ſaturatò rubrum vel cœruleſcentem reddente, Tincturæ aptum:
in ſpecie, pro muricatâ, (h. e. aculeatâ) illâ marinâ Cochleâ, Tincturæ precioſiſſimæ veſtimenta-

α. β.

α. β.

mentalis ergò olim quæſitâ, adhibitâque; cujus Icon ex Autore in Capitis hujus I. §. 26. affertur.

Atque iterum dupliciter:

vel pro Toto iſto Animali, Teſtâ ſuâ aculeatâ veſtito, gerenteq; ſub Faucibus precioſum illum Cruorem, quo Lanæ & Serica, aut inde paratæ Regum & Senatorum Veſtes imbuebantur:
Cujusmodi in ſpecie dictam *Purpuram* Autor, tùm hìc, tùm inferiùs (§. 24.) ait, nunc *Muricem*, nunc *Conchylium* fuiſſe appellatum. *Muricem* quidem per Tropum, Partis pro Toto; Murices enim propriè ſunt Cuspides vel Eminentiæ aculeatæ duræ, quibus Teſtacea multa, ac inter illa Purpuræ, forinſecus armantur: *Conchylium* verò καт' ἐξοχὴν, quod Purpura videlicet ſit Concharum aut Teſtaceorum quaſi omnium Regina. Quibus Nominibus (h. e. Muricis & Conchylii) iterum tamen ſubſunt Ambiguitates aliquæ, ab ipſomet *Columnâ* perſpicuè ſat diſcuſſæ, in præſentis cap. I. §. 8, 9, 10, 14, & 20.

vel pro Succo præſertim aut Sanguine Animalculi jam-dicti, Tincturæ Regalis promocondo.

§. 3. *Impropriè* ac tralatitiè, multifariàm: videlicet

α.

a.

1. pro Veſte ipſamet Regiâ aut Senatoriâ, Purpureo humore Tinctâ.

2. Imò pro Magiſtratu Romano, aut poſtmodùm quovis alio, Veſtes iſtiusmodi tinctas gerente, aut etiàm non gerente:

§. 4. *3. Pro Colore ſaturatò-rubro aut purpuraſcente aliarum rum Rerum;* quales e. gr. ſunt hæ:

1. Teſtaceum Bivalve, à Clar. *Oleario,* in Deſcriptione Cameræ Gottorpienſis Tab. 29. fig. 3. delineatum, & pag. 61. pro verâ Purpurâ habitum; ſed minùs rectè, etiamſi Teſtula illa, quam ibi deſcribit, Purpureo Colore micet. Verba ita ſonant: *Es iſt auch eine rechte Purpur-Muſchel, dann Sie innvvendig überall hoch-purpur-farbe: von auſſen gegen dem Centro iſt die helffte Purpur in vveiſs vermiſchet.* Quin potiùs, quod ſalvâ Celeberrimi Viri exiſtimatione, & quondam Amici benemeritisſimi, in contrarium ingenuè monere liceat; (1.) Simile non eſt idem: Tinctura, quo Teſta iſta naturaliter imbuta exſtitit, Purpuræ ſimilis fuit, & multa alia Conchyliorum genera, tam hoc, quàm aliis Coloribus, ſuperbâ varietate & elegantiâ ornantur; propterea tamen ea, quæ Purpuræ Animalis, aut aliarum rerum Fulgorem æmulantur, non ipſamet ſtatim Purpuræ ſunt. (2.) Oppidò multæ Teſtaceæ Purpurarum, propriè dictarum, domunculæ, vel Conchæ duræ, in quibus Cochlearum more ſe recondunt, Purpureum Colorem

a. nullum,

a.

nullum, ex Succo tingente contraxerunt, quia opus non eſt, aut inter diſtinctiva Purpuræ Signa ab aliis Teſtaceis, non reponitur, ut quemadmodùm intus gaudent Latice, ad tingendum apto, ita eodem etiam viventes jam, Teſtam ſuam imbuant, & ſint oſtentabundæ pictrices ſuæ domûs. (3.) Ac imprimis Purpuræ veræ jam dictæ, cum Speciebus affinibus, toto Genere diſtant à Purpurâ Olearianâ. Hæc enim, ut ex Icone, æri incisâ, licet colligere, ad Teſtacea Bivalvia, vel duas Teſtas habentia pertinet; propriè-dictæ Purpuræ verò, cum Cochleis reliquis omnibus, ſunt non-niſi Univalves.

§. 5. 2. *Homo Æger, Febre exanthematicâ laborans*, & ab eâ rubrè quaſi pictus in Cute. Per quam Febrem Exanthematicam hîc ſubintelligitur vel

1. *indifferenter qualiscunq;* quo-usque, ni fallor, Clarisſimus quondam Lubecenſium Medicus, *D. Paulus Neucranzius*, in ſuis de Purpurâ (Morbo) Lucubrationibus, vocem Purpuræ extendit.
2. *ſigillatim, de Febris Petechialis ſpecie*, quæ ſuperioribus, in hoc Seculo, Annis epidemia primùm Lipſiæ exſtitit, & *Febris Puerperarum* dicta eò, quia ſolas tum aliquandiu Puerperas invadens, funeſtam earum ſtragem edidit, Germanicè ibidem *Friſel* dicta eſt, â voce Frieren, h. e. frigere, quod cum horrore plerumque

α.

invaſerit, vel, quod aſperam redderet Cutim, qualis à Frigore eſſe ſolet in deplumatis Anſeribus: vel etiam *Febris Petechialis nova* (eo Tempore) ob ſtigmata multa, parva, rubra, maculis morsûs pulicum ſimilia, plus minùs in Cute turgeſcentia cum calore urente; aut *Febris Purpurata Riverio*, Cent. 1. obſ. med. 21. vel unico nomine *Purpura*, ob cauſam modô-dictam; aut cum epitheto, *Febris Purpura Miliaris*, quod ſingulæ maculæ floridæ in centro inſidentem plerumque acquirerent elatam Puſtulam ichoroſam, adeò, ut dum cutis vel tota, vel præcipuè in Dorſo, Collo, Pectore, efflorefcentiis iſtis, & puſtulis, granorum Milii æmulis, exiſteret largè obſita, maximam ſui partem Milio vel Ovis Piſcium conſperſa videretur. Habitaque eſt febris iſta meritò periculoſa, tàm per Experientiam multorum Tragicorum eventuum; quàm aliàs quoque, ratione Symptomatum, (Vigiliarum, Sitis immenſæ, Delirii) & ſubitaneæ Retroceſſionis: quæ debebatur Sero cuidam ſubtili Scorbutico, vel Lymphis viſcerum volatilibus ebullientibus, mobilibus valdè: quo genere Morbi ipſe quondam Hamburgi, ſub Typo primùm Tertianæ malignæ Scorbuticæ, hinc planè continuæ Exanthematicæ, laboravi. Nam quamvis Malum id primis poſt adventum ſuum in Germaniam Temporibus Puerperas Lipſienſes, aut in viciniâ, ſpecialiter quaſi tantùm affi-

α. cere

α.

cere viſa eſſet: deinde tamen longè latèque ad plures alias inſuper Germaniæ ditiones, hominumq; ſexum utrumque, & omnem penè ætatem dimanavit, ita ut Viros æquè ac Fœminas, Juvenes ac Senes, paſſim invaſerit; cujus exempla pluſcula, aliqua etiam meæ curæ ſubjecta, iteratò mihi nota reddita ſunt. Imò ſicut *Febris* illa *Purpura* interdum Sudaminibus iſtiusmodi in medio macularum deſtituitur: imò citra Febrim notabilem quoque ac Maculas, Sudamina aliquibus erumpunt, quæ non convenientiùs, quàm reciprocato ſuper Cutim exaſperatam echino veſtimentali, ex Setis porcinis facto, tolluntur, & ſolo Pruritu, maturitatis indice, hominem ad ſcalpendum vel ſimile quid, irritant.

§. 6. Unde verò deſcendat *Purpuræ Vox*, in diverſas Opinionum partes abire uniuscujusque arbitrio relinquitur, ſalvâ Animarum pace, vel totius Romani Imperii: ex quibus mihi hæ videntur celebriores; dum nempe

I. Aliqui dictam putant, *quaſi Purum Putum* אור *Ur*, vel Ignem, Hebræis dictum:

II. vel *quaſi Purum Putum Urens*, poſtquam τὸ *Urere* ab hoc *Ur* vel Igne derivatur, Subſtantiâ omnium ſubtilisſima, ſummè mobili, lucidâ, (in ſtatu congregato) corporibusque aliis Splendoris gratiam conciliante. Cujusmodi Etymologiæ verò videtur non tutò ſatis innitendum. Si enim ab *Urendo* nomen haberet, cujus prima Syllaba eſt longa; in voce *Purpura* conveniret mediam Syllabam quoque produci, non corripi;

ripi: quod puto eſſe manifeſtum. Et, unde etiam acceſſit Literar P?

III. Vel *quaſi* πῦρπῦρ, aut Purum putum Ignem, vel Lucem; ut geminato hoc Ignis, Subſtantiæ fulgidisſimæ, titulo maximè fulgurans ſplendor Purpuræ notetur. Sed neque hæc Vocis deductio exactè quadrat. Sunt enim, ut notum, Cinnabaris, Minium, Coralia, Roſæ, Scarlatum, multò fulgurantioris Rubedinis, Purpurâ; & appellationem iſtam ſic aliquantò digniùs mererentur. Imò in Purpurâ non tàm Splendor aliquis rutilans, quàm in obſcurum potiùs tendens Cœruleum Rubeſcens, vel Rubrum Cœruleſcens, præcipuè commendatur.

IV. Vel *quaſi* πόρον φέρειν, *Porum Ferre*, vel Meatum: & Venam Cruoris Purpurei intelligunt. Sed præterquam quod Anatomicis minùs uſitatum eſt, *Pori* appellationem tribuere *Venis* Animalium; dubito etiam, an Syllaba Græcorum, φε, facilè in *Pu* Latinum mutata, in ullis nominibus aliis inveniatur; ut meram potiùs Vocum Alluſionem exiſtimem.

V. Vel ex Hebræo פָּרַד *Separavit, disjunxit*, vel פָּרַץ *Rupit, Effregit*; quod Teſta Purpuræ Animalis, ad Succum precioſisſimum obtinendum, frangenda priùs fuerit: quæ originatio utcunque ſpecioſior videtur, ſed incerta; cum multa alia, imò fere innumera, Corpora æquè Fragilia aut Ruptilia ſint, quæ exiguam admodùm cum Purpurâ familiaritatem habent: & videtur item Alluſio tantùm quædam eſſe, ad Radicales Hebraicæ Vocis literas פּ & ר, quàm vera Originatio.

§. 7. Quin potiùs quando habemus Fontem manifeſtisſimum alium, quid ullos obſcuriores laborioſè inſectemur? Quod enim πορφύρα Græcis, id ad amusſim velut, Latinis

Latinis *Purpura* dicitur: & Derivata utrobivis perſpicuè conſpirant: (1.) *Purpuro*, Πορφύρω, h. e. purpureo Colore tingo, vel facio, ut aliquid Purpuræ in modum effulgeat; Vox veteris Poëtæ, quam probat *Gellius*, lib. 18. c. 11. verſum hunc adducens:

Spiritus Eurorii virides cum purpurat Undas. Inde (2.) *Purpurati* Patres, qui Purpuram geſtabant; Reges, Principes, Senatores Romani, aut hodie Cardinales. (3.) *Purpurarii:* qui erant tàm Infectores, quàm Negociatores. Et Infectores præſertim quales homines fuerint, quæque eorum Officinæ ac Fraudes, *Autor* ipſe *noſter*, in capitis hujus §. 37. & 38. explicat. Diciturque Græcè Πορφυρόπωλις, Purpuræ Venditrix. (4.) *Purpureus, a, um,* Πορφύρεος, *ον,* i.e. Ruber, puniceus, florens, ac roſeus. Unde Juvenile decus Genarum *Virgilius* 1. *Æn.* *v.594.* his verbis deſcribit:

—— —— —— *Lumenque Juventæ*
Purpureum, & lætos oculis afflarat honores.

§. 8. Et quoniam inter Colores Simpliciores, Rubro rutilante nullus fortior, vel Cœruleſcente, ob quandam cœli imaginem, haut facilè ullus amabilior, venerabilior, aut adſpectu amœnior eſt, qui duo ſub communi *Purpuræ* nomine continentur; ideòque Poëtæ præſertim, in vocibus latiùs extendendis liberi admodum, *quidvis Pulcrum*, amœnè coloratum, aut ſplendens, continuò etiam Purpureum vocarunt, ut *Flammam Euripides* (in Troadibus) *Lumen Virgilius*, 6. Æn. *Nivem Pedo*, antiquus quidam ſic-dictus, *Mare Euripides* iterum l. d. *Comam* Niſi, *Ovidius, Oculos Flaccus*, ipſosque *Olores* vel Cygnos, *Horatius* lib. 4. od. 1. v. 10. Quod tamen ad *Mare* attinet, de quo ſic canit *Virgilius* lib. 4. Georg. v. 372.

In Mare Purpureum violentior influit Amnis;

id citra Tralationem etiam dicere poterat, reſpectu Imaginis Auroræ, purpureo ſchemate ex ſuperficie Aquarum ad Oculum reflexæ.

§. 9. (5) *Purpurina*, Pigmenti genus; de quo diſtinctiùs paucula, ad præſentis Capitis §. 24. notabo. (6.) *Purpuriſſa, Purpuriſſum*, (à πορφυρίζω, in purpureum colorem vergo:) ſimile Pigmenti genus; de quo ibidem. & (7.) *Purpurites*, πορφυρίτης, lapis, inter Marmora rubra principatum obtinens, columnis, mortariis, ac aliis rebus, violentiæ obnoxiis, parandis aptus: de quo vide *Ol. Wormium* libr. 2. Muſ. Sect. 2. cap. 4. pag. 44: ſed diverſus â *Purpurite* ſeu Purpurâ lapideſcente, argenteis Maculis adſperſâ, quam in effigie nobis exhibet Musèum Metallicum *Aldrovandi* lib. 1. cap. 3. pag. 89.

ANNOTATIO III.

Ad Capitis I. §. 6. & 7.

De Oſtro, ejusq; Nomine ac Denominatis.

Breviarium.

§. 1. *Oſtri triplex acceptio.*
§. 2. *Oſtri parandi Modus, obiter intimatus.*
§. 3. *Oſtrum ac Oſtrea, ab* Ὀστέον *dicta:*
§. 4. *Oſtrearius Panis quid? Oſtreatum Tergum: Oſtrifer Locus.*
§. 5. Ὄστρειος, *i. e. Purpureus: Oſtrina Tunica.*
§. 6. Ὄστρακον, *i. e. Teſta: Oſtracium,* Eſtrich; Ὀστρακόδερμα. *Teſtacea Animalia.*

§. 7.

§. 7. *Oſtracismus: Oſtracophoria.*
§. 8. *Oſtracites quotupliciter dicatur?*
§. 9. *Oſtracites propriè, Lapis ſcisſilis ac ſcaber: Topf-ſtein, Scherben-ſtein.*
§. 10. *Oſtracites, Ætitæ ſpecies: & Hæmatites fisſilis.*
§. 11. *Oſtracia vel Oſtracites, Achatæ ſpecies: vel etiam Sapphiri.*
§. 12. *Lithoſtreon: Oſtrea Petrefacta.*
§. 13. *Cadmia Oſtracites.*
§. 14. *Oſtracitæ, i. e. Urnæ Fosſiles;*
§. 15. *partim Fictiles, ac Funerales:*
§. 16. *partim ex Glebâ, naturaliter toſtâ, Tornatæ.*
§. 17. *Fictilium Subterranearum Uſus, & Autores qui?*
§. 18. *An Pygmæi?*
§. 19. *An ſub Terris molliores ſint; extractæ indureſcant?*
§. 20. *Regiones, talium feraces.*
§. 21. *Et cum iis Sileſia:*
§. 22. *Italiáq;.*

§. 1. OStrum rectè quidem *Autor noſter* hoc Cap. 1. §. 6. vocat *præſtantisſimum omnium colorum purpureorum*, per Artem priſcam Tinctoriam ex Purpurâ, (Animali Teſtaceo) *factorum*: ſed quò minùs quis ſeducatur Æquivocationibus, notandum, *Vocem Oſtri*, non hoc famoſo ſolùm & maximè excellenti ſignificatu capi de eo, quod diximus: ſed tùm *pro ipſo Succo, nativo adhuc* penitus, nullamque coctionem ſui paſſo, tùm generalisſimè, pro quovis, aliarum etiam rerum Colore purpureo ac rubro ſumi apud Autores pasſim, præcipuèq, Poëtas, quibus impunè licet, Voces nullas non longè latèq;, ad diſtantisſimos quosque ſignificatus extendere.

§. 2. De *Modo Parandi Oſtrum* in peculiari Annotatione inferius, ad §. *Autoris* 23. & 24. præſentis Capitis agetur.

§. 3. Interim ne quid intactum principiò ſtatim, quoad Nomenclaturas Rerum, transſiliat induſtria mens *Columnæ;* ecce, ad *Etymon Oſtri* mox mox (§. 7.) enucleandum vertit ſe; & rectè Vocem à Græco ὀςέον, quod denotat Os, deducit, cùm in Duritie & Oſſa & Teſtæ Purpurarum non parum conveniant. Ob eandemque cauſam *Oſtrea* quoque dicta putantur, quod Teſtis durisſimis duabus, tanquam Osſeis clauſtris, communita ſint, frangendis cum impetu, antequam delicatam carnem contentam veſcam, prædari detur: & nunc ab *Oſtro*, nunc ab *Oſtreâ*, pluſculæ voces aliæ; quæ ſequuntur.

§. 4. (1.) *Oſtrearius Panis*, ab Obſoniis ſic dictus *Plinio* lib. 18. cap. 1; quam Nominis rationem Ipſe fert; videturque innuere Panem Veterum, cum Oſtreis veſcerentur. (2.) *Oſtreatum Tergum*, h. e. durum, aſperum, & velut Oſtrearum Teſtis armatum, *Plautus* habet alicubi; ni fallor, in Pænulo. (3.) *Oſtrifer Locus*, qui Oſtreum vel Oſtream producit: utrumque enim, tam Oſtreas, quàm Oſtrea, orum, dicimus.

§. 5. (4.) ὄςρειος, quód Latinè vertendum *Oſtréus vel Oſtreius,* i. e. purpereus, vel Oſtri colorem habens. (5.) *Oſtrina Tunica*, *Propertio*, quæ oſtri rubeſcentis Tincturam refert, vel oſtro tincta:

§. 6. (6.) ὄςρακον, Cortex, Teſta. (7.) *Oſtracium*, Pavimentum, vel Area domûs aut Conclavis, Fragmentis Teſtularum, naturalium æquè ac imprimis fictilium ex latere cocto, ſtrata, interpoſito & complanato ſupernè cum illis cæmento aut calce, inſperſis calculis; Germanicè Eſtrich, quod verò öſtrich ſcribendum videtur rectiùs. (8.) ὀςρακόδερμα, Anima-

Animalia, loco Cutis, vel Involucri mollis, Putamen durum vel Teſtam habentia; uno verbo, Teſtacea. ὄστρακον enim, Teſta, ut modò dictum eſt, & Δέρμα, Cutis.

§. 7. (9) *Oſtracismus*, ὀστρακισμός. Quo nomine intelligitur celebris illa apud Athenienſes quondam, ſed iniqua haut rarò, inſignium Virorum, tanquam Reipublicæ pernicioſorum, aut ſuſpectorum certè, ad Annos X. aut XV. Relegatio, facta per ὄστρακα aut Teſtulas, h. e. Teſtularum ſuffragia & Collectionem, quibus nomen eorum adſcriptum erat, qui non tam ob flagitia aliqua, (quæ potiùs Exſilium pariebant) quàm quod Facultatibus, Favore populi, abundantiâ Clientium, potentiâque gauderent præ reliquis, videbantur quammaxmè ex Aris ac Focis eliminadi, ne ſcil: Autoritate nimiùm invaleſcerent. A Latinis *Exſilium Teſtulatum* vocari, innuit *Aldrovandus* lib. 4. Muſ. Metall. c. 7. pag. 596. Et Syracuſani tenuerunt ſimilem, Viros ſæpe optimos, è Repupl: ejiciendi modum: ſed, loco Teſtæ, Folio Oleagino ſunt uſi, ut *Voſſius* (in Etymologico) memorat. (10.) *Oſtracophoria*; quaſi *Teſtilegia* dixeris, aut Sortilegium per Teſtas: vel Dies ipſa, Oſtracismis ferendis deſtinata.

§. 8. Ac denique (11.) *Oſtracites*: quo nomine Corpora varia continentur; Nativa, Factitia, & Ambigui ordinis.

§. 9. *Nativis* annumerantur hæc: (1.) *Oſtracites Dioſcoridi* vocatus, vel Saxi cruſtoſi ſpecies, aut Lapis ſcaber, & ſic ſuperficiem ſcabram Teſtæ Oſtrearum utcunque æmulans; ſed iis multò major; poliendæ aut lævigandæ Cuti utilis *pro Pumice*, ut loqui placet *Plinio* lib. 36. cap. 19; ſciſſilis verò imprimis in Teſtas veluti, ſic, ut ſuperiore ablatâ, in

minores alias findi poſſit, intercedente ſemper Cruſtâ; digitisque percusſus, tanquam olla, ſonum edat: in Montanis circa Bononiam hodie frequens, notante *Aldrovando* (lib. 4. Muſ. Metallic. cap. 1. pag. 462.) nec non in Hercyniis, circa Hildesheimium, ponè Antrum à Nanis dictum, ut notat *Diligentiſſimus D. Frid. Lachmund, Amicus meus*, Oryctograph. Hildesh: Sect. 3. cap. 1. illudque rubrum: cum quo confer *Joh. de Laet* de Gemm. & Lapid. lib. 2. c. 10. Colore autem ferrugineo aut fulvo à ſe notatum *Cl. Olaus Wormius* (lib. 1. Muſ. ſect. 2. cap. 12. pag. 79.) memorat. Junioribus Græcis viſum eſt, λιθόστρεον vocare: ſed rectiùs nomen id Oſtrearum Teſtis in Lapidem converſis, attribuitur. Quin Ceramiten præſtaret dicere, nam Κέραμος Tegulam denotat. Germanis, *Agricolam* ſequutis, Topf-ſtein, aut multò convenientiùs Scherben-ſtein. Nam hoc Topf-ſtein etiam ambiguum eſt, & tam lapidem hunc, de quo in præſenti paragrapho agitur, quàm Urnas Fosſiles, mox dicendas, notat.

§. 10. (2.) *Ætites fisſilis*, parum ab Oſtracite modò-deſcripto differens, ob Scabritiem externam ſimilem, fisſilitati junctam, quâ plures ſemper lapides uno contineri videntur, niſi quod Terram, vel aliud quid, in ſinu ſuo gerat, pro Ætitarum more quaſi omnium. Cujusmodi *Oſtracitem* proin, *Ætitæ ſpeciem*, ex quatuor conſtatem Cruſtis, incluſâ in medio Terrâ luteâ, exhibet *Lachmundus* antè-citatus cap. 11. pag. 32. *Clarisſimus Bauſchius* verò in pereleganti ſuo, de Ætite, Opuſculo, Ætitem toties- fisſilem non habet. Et (3.) *Hæmatitis* ſpeciem aliquam, Oſtracitæ Dioſcoridis ſimilem, in Rerum Naturâ inveniri, autor eſt *Aldrovandus*, l. antè c. cap. 7. pag: 594: cum Hæmatitarum plerorumque fibræ alias in longitudinem corporis, tanquam jacula, ſtriatim tendant.

Cujus-

Cujusmodi Hæmatitem ex Oſtracite fieri à Naturâ, per uſtionem, ſicut ex Magnete Ars Hæmatitem efficit, ſimiliter Urendo, inculcat nobis *Johannes de Laet* lib. 2. de Gemm. & Lap. cap. 10.

§. 11. Quid quod in ipſismet *Gemmarum* generibus *Oſtracitem* aliqui ponant; nominatim (4.) Achatem. Ita enim *Plinus* lib. 37. c. 10. ait: *Oſtracias ſive Oſtracites eſt Teſtacea durior: altera Achatæ ſimilis, niſi quod Achates politurâ pingueſcit. Duriori tanta ineſt vis, ut aliæ Gemmæ ſculpantur fragmentis ejus.* Ubi nota τὸ *Aliæ.* Itaque Oſtracites hic *Plinii*, ipſe etiam Gemma, & in ſpecie Achates erit. Imò (5.) *Sapphiraſcentem Oſtraciam* quandam colligas licet ex his verbis modô laudati *Johannis de Laet*, qui l. d. ſcribit: *Nomine Germanico Lux-Saffier mihi oſtenſa eſt gemma ſaturatisſimi Indici colore. Qui oſtendebat Gemmarius, magni precii eſſe dicebat; præduram ita, ut alias Gemmas incideret.*

§. 12. Porrò (6.) *Oſtracitem* de *Lithoſtreis*, h. e. *Oſtreis* vel toties, vel quoad Teſtam aut Carnem in *Lapidem converſis* dici, quemadmodum Rationi maximè conſentaneum eſt, ob certitudinem Obſervationum: ita Exempla *Virorum Celebrium*, qui talia notarunt, ſunt in promtu: quorum quatuor hîc tantùm memorabimus; *Aldrovandum* in Italiâ, Bononienſium Geſnerum aut plusquam-Plinium; *Borellum* in Galliâ; *Wormium* accuratisſimum, & *Stenonem* ingenioſisſimum in Daniâ. *Aldrovandus* ait lib. I. Muſ. Metall. cap. 2. pag. 53: *Vidimus genus Oſtrei petrificati, cum Armaturâ Coloris aurei.* Ejusque iconem dat pag. 55. ſub titulo: *Oſtracites Chryſoplites.* Et lib. 4. cap. 1. pag. 463. depictam exhibet Teſtam Oſtreorum, in Lapidem mutatam, Coraliorum rudimentis exornatam; ac ideò *Oſtracitem Coralioidéum* nuncupat. Ac libri ejusdem capite

pite 7. pag. 594. *Petrificati Oſtrei* mentio injicitur, cum Armaturâ durâ lapideâ, cinerei coloris. *Borellus*, ſe in Galliâ Oſtrea magna lapidea & vidiſſe, & collegiſſe teſtatur Cent. 3. Obſ. Med. 38. *Olaus* autem *Wormius* Oſtreas in Lapidem Chalcanthinum in Angliâ converſas, nigras, odore Sulfureo, inque humido Aëre facilè reſolubiles, nomine *Oſtracitæ*, Muséo ſuo intulit, lib. 1. ſect. 2. cap. 13. pag. 87, hæc addens: *Sunt verò & aliorum Oſtreorum Teſtæ aliquot, in lapides duros, cæruleos, & cinereos mutatorum exempla, quæ Siliceam præferunt duritiem, nec, ut priores, in humido liqueſcunt, ſed, ut alii lapides, perennant.* Ac ſubjungit Oſtreæ carnem in lapidem ſubrotundum, flavum, diaphanum converſam Noviſſimèque *Steno*, in Prodromo Diſſertationis ſuæ de Solido intra Solidum, ordine ſuccincto agens de Teſtaceis Petrefactis illis primùm, quæ in littoribus Maris, deinde iis, quæ è Montibus eruuntur, pag. 59. meminit, Oſtreorum Teſtas Se obſervaſſe, miræ magnitudinis, lapideas, cavernoſas: ut opus hoc pacto minimè ſit, in tantâ Teſtimoniorum, adeò illuſtrium, luce, ampliùs à contradictionibus aliorum mihi metuere, ſi initio ſtatim paragraphi hujus dixiſſem, *Lithoſtrea* paſſim dari: qualia utique mihi etiam Venetiis, intra ædes Nobilium, notata ſunt. Actumque à me de *Petrefactione Corporum* aliquantò fuſiùs eſt An. 1664. in diſſertatione Epiſtolicâ, de Cancris & Serpentibus Petrefactis tum editâ; quorſum benevolos Lectoris oculos remitto. Hæc de *Naturalibus*.

§. 13. *Factitiis* autem Rebus etiam aliquibus (7.) *Oſtracitæ* vocabulum dari, exemplo *Cadmiæ* & (8.) *Ollarum Foſſilium* porrò liquet: quas tamen Nativis etiam rebus vulgò annumerant; &, certo reſpectu, non prorſus malè. Unde illas inter *Ambigui Ordinis Res*, dictas ſuperiùs (§. 8.) tan-

tisper

tiſper referre liceat: &, quod de *Cadmiâ* hîc notemus, breviter eſt hoc: Ejus, in Re Medicamentariâ, præcipuè haberi differentias has, præeunte Clariſſimo Viro, *Johann. Schrödero,* lib. 3. Pharm. cap. 19. â figurâ externâ petitas, ut alia dicatur Botrytes, quæ Uvæ ſpeciem referat; alia Calamites, quæ Calamum; alia Placites, quæ Cruſtas; alia demum *Cadmia Oſtracites*, quæ Teſtas.

§. 14. Superſunt itaque *Ollæ vel Urnæ Foſſiles,* quas etiam *Oſtracitas*, Germanicè Topf-ſtein vocari, jam anteà eſt dictum: utut paulò convenientiùs (clariùs certè) Erd töpfe dicantur, vel etiam Erd-Schalen, Erd- oder Berg-kruge, Berg-Töpfe, &c. (à loco Inventionis) vocari poſſint. Atque illas cur nec ſimpliciter pro *Nativis,* nec ſimpliciter pro *Factitiis,* ſed *Rebus Ambigui aut Dubii Ordinis* habendas ducam, Rationem claram eſſe exiſtimo; quod nimirum non omnes ejusdem ſint Generis, ſed ad duas has ſummas Claſſes redigendæ.

§. 15. *Aliæ* ex Argillâ, vel Terrâ tractabili quavis aliâ, Aquis ſubactâ, *à Figulo ſunt factæ*, &, ad durabilitatem ipſis conciliandam, Ignibus coctæ, prout Lapides murarii, vel Lateres, Tegulas, Urnas, Ollas, Urceos, & Vaſa Fictilia alia uri, moris eſt: cum alteris, de quibus jamjam etiam dicetur, confundendæ neutiquam.

§. 16 *Aliæ* enim è contrario inſuper ex Glebâ quidem etiam, ſed ſiccâ penitus, nec unquam ſubjectâ Figuli manibus, paratæ: quam nimirum Natura ipſa ſubtùs in Molem aut Terram rubram, ope Subterraneorum Ignium, priùs coxerat, ut *Torno dein ſubjici*, inque Ollas, Urceos, ac Pateras per induſtriam humanam formari poſſent, ſuffragante *Johanne de Laet,* qui lib. 2. Gemm. & Lapidibus, cap. 10. ex *Gesnero,* hæc profert: *Plurii*, inquiens, *Pagus eſt Rhætorum egregius,*

ultra Alpes proximè Clavennam oppidum, Lacui Lario (quem Comenſem hodie vocant) vicinum, in monte proximo effoſſi lapides quidam pulli coloris & molliuſculi, ad lebetes & varia vaſa tornantur: & inde in diverſas Italiæ, vicinasq; Regiones exportantur. Jo. Auguſtinus Pantheus Chemiſta, hunc Lapidem Lebetum vocat, & ni fallor, alio nomine Petram Columbinam, neſcio quam ob cauſam. In Siphno (inquit Plinius lib. 36. c. 22.) Lapis eſt, qui cavatur, tornaturq; in vaſa, coquendis cibis utilia, vel ad eſculentorum uſus: quod & in Comenſi Italiæ lapide accidere ſcimus, &c. *Talia* item *ſunt apud Chattos Saxa,* (pergit Autor) *in fuſco cinericea, in quorum formas quodvis metallum liquidum funditur. Hoc genus in Siphno, & in Italia circa Comum excavatur, tornaturq; in vaſa coquendis cibis utilia, quæ circumdantur circulis ferreis, &c.* Ex quibus abundè patet, *Tornatiles Urnas* has, cum *Fictilibus* iſtis, de quibus in præcedenti Paragrapho, non eſſe confundendas.

§. 17. Atque easdem *Fictiles*, quæ aliàs καὶ' ἐξοχὴν *Foſſiles* vocantur, *Funerales aut Cinerales* placet dicere, ab uſu præcipuo, quo priſcis Ethnicis habebantur: nimirum, ut Cinere ac Oſſibus Mortuorum ſuorum repletas, tectasque lapide, vel aliâ re, telluri committerent; majores, mediocres, parvas; ſpe forſan aliquâ (per Traditiones obſcurè acceptâ,) futuræ Reſurrectionis: cujusmodi ſpes Ægyptios imprimis, cadavera Mortuorum non comburentes, ſed balſamo, cedriâ, bitumine, aut aliis rebus condientes, ad conſervanda eadem quamdiu à Corruptione, traxiſſe, non vana opinio eſt.

§. 18. *Fabricius*, citante *Albino* (Meißniſch: Berg-Chronic: Tit 23. pag. 177. 178.) perſuaſione Vulgi potiùs, quàm propriâ opinione actus, *Ollas* illas *à Pygmæis in Terrâ relictas* refert, qui quondam in Antris Thuringiæ, & vicinarũ regionum, habitave-

bitaverint: unde Zvverg-Töpfe ibi quoque appellentur. Imò vivere etiamnum in ſubterraneis paſſim, Pygmæorum Gentem, & plura iſtiusmodi Vaſcula fingere. Quam fabulam autoribus ſuis defendendam, firmiterq; credendam, lubens mittimus.

§ 19. Hoc verò â ratione minùs alienum eſt, quod ſibi perſuadet *Boëthius* (lib. 2. d. Lap. & Gemm. c. 212.) *Molles eſſe in Terrâ* (intellige, Friabiliores,) *exemtas* in aere *lapideſcere*. Iſta Friabilitas, & fatiscentia facilis, ab Humiditate Nitroſo-Salſâ Terræ in aliquibus regionibus, longiuſculi Temporis tractu, ſupervenire ipſis poteſt: quâ exhauſtâ, vi radiorum ſolarium aut atmoſphæræ aliàs ſiccioris, ad ſiccitatem priſtinam redeant, & utcunque magis reſiſtant tactui. Unde in Luſatiâ quoque hunc modum effoſſionis earum tenere *Albinus* ait Incolas, ut reperto, per exploratorium inſtrumentum, Urnæ indicio, inventas easdem non ſtatim eruant, ſed circumfoſſas linquant in Terrâ aliquandiu ſubſiſtere, ut ſenſim ſicceſcendo, cum minore ruptionis periculo dein eximi ac asſervari poſſint.


§. 20. Reperiri enim ſub Terrâ interdum, tàm in *Luſatiâ* modò-dictâ, ubi gevvachſene Töpfe à vulgo appellentur, quàm vicinâ eidem *Misniâ*, *Saxoniâ*, *Thuringiâ*, *Hasſiâ*, & *ad Rhenum*, Fictilia Veterum, tàm Funeralia, quàm Oeconomicis etiam uſibus deſtinata, coloris ac figuræ variæ, ex eodem *Autore* diſcimus. Inque *Hercyniæ Tractibus* præſertim hodie id non eſſe admodùm inſolens, tum privatim per literas edoctus ſum, ab accuratiſſimo Foſſilium, ejus Regionis, ſcrutatore, *D. Frid. Lachmundo*, Hildesheimenſium, Sympolitarum ſuorum, Medico; tum puplico ſcripto idem confirmat *Becherus*, Patinæ foſſilis Hildesheimenſis,

nigræ, aureaque armaturâ radiantis, mentionem faciens lib. 1. Phyſ. ſubterr. ſect. 6. cap. 3. num. 30: ne ſilentio prorſus transgrediar vel *Holſatiam* porrò, in cujus Inſulâ quadam, Sylt, antiquioribus Friſiis habitatâ, ſub Præfecturâ Tunderenſi, ex Collibus, plurimas Ollas Fictiles nigras erutas, oſſibus cineribusque plenas, *Clar. Danckwerthus* (Topograph. Holſ. part. 2. cap. 5. p. 89. a.) memorat: vel *Sileſiam* meam, tam in Montanis, Bohemiam reſpicientibus, non longe à Boberâ fluv. [ad quem Germaniæ Cygnus, *Opitius* natus eſt;] quàm in citeriore ejus parte, propè Oderam vel Viadrum fluvium; uti jam dicetur.

§. 21. Monſtrat enim inclytæ Sileſiæ Metropolis, *Vratislavia*, Patria mea chariſſima, in publicâ, quæ ibidem habetur, Bibliothecâ Templi Mariæ-Magdalenæi, in Scrinio convenientе repoſitas *Ollas Fictiles XVI.* effoſſas Ann. 1614. d. 15. April: in Pago *Ranſern*, qui milliari uno ab Urbe diſſidet, ſub ditione *Illuſtris Senatus* ibi, ad Viadri ripam, in puriſſimâ Arenâ, dum Aggeri reparando cura intenderetur; in quibus majores noſtri Mortuorum ſuorum Cineres condidère: majusculas, mediocres, parvas; duras affatim; & aliquas earum lineis inſculptis ornatas, alias rudius elaboratas; anſatas item aliquas ab uno vel utroque latere; alias ſine anſis; ſcabras quodammodo, nec lithargyro obductas. Omnes verò orificii vel aperturæ ſtrictioris, Ventrisque amplioris. Ex quibus mediocres tres elegi, & in defectu Artificis, dum charta hæc jamjam prælo eſſet ſubiicienda, rudi ſcalpello in Ligno ſculptas, delineare conatus ſum in addito hîc Schemate, intimando altitudinem earum & diametros, quâ parte maximè ventrioſæ ſunt.

Prima

Prima nimirum, Signo ⊙ notata, Amplitudinem habet, cujus diameter Unciarum $4\frac{1}{2}$: Altitudinem verò $3\frac{1}{2}$ Unc. circiter.



Secunda, Signo ☾ notata, amplitudine (diametraliter) æquat Uncias 3. Altitudine Uncias $2\frac{1}{2}$.

& *Tertia*, ſub Signo ✳ æquat Amplitudine Uncias quaſi 6. Altitudine Unc. $2\frac{1}{2}$.

§. 22. In *Italia* Sepulcrales Romanorum Urnæ proprio nomine *Oſſuaria* ſunt dicta, ac *Cineraria*; Græcè ὀστοθῆκαι, vel ὀστοδοχεῖα. Eaq; non Fictilia ſolùm, ſed ex Marmore quoque, imò Argento, ac Auro facta eſſe, convenienter *Kirchmannus* nos admonet lib. 3. de Funerib. Romanorum, cap. 8. & quoad molem parva, minutaque Vaſcula exſtitiſſe, quodammodo ex *Propertii* lib. 4. eleg. ult. addiſcimus, qui ait:

Non minùs immites habui Cornelia Parcas,
Et ſum, quod digitis quinque levatur, onus:

quorſum etiam alludit elegantisſimus Poëta Chriſtianus, *Prudentius*, his verbis, hymn. 10. Cathem. verſ. 145.

Non ſi carioſa vetuſtas
Disſolverit oſſa favillis,
Fueritq; cinuſculus arens,
Minimi menſura pugilli.

ANNOTATIO IV.

Ad Capitis I. §. 8. 9. 10. 11. 12. & ſeq.

De Vocis Conchylii ſignificatu multiplici, & acceptionibus perplexis.

Breviarium.

§. 1. *Conchylium ab Æquivocatione liberare contendit* Autor.
§. 2. *Sed* Ipſe *quoque eatenus, raedelâ opus habet.*
§. 3. Concha, *pro quovis Teſtaceo Animali:*
§. 4. *Presſiùs, pro Univalvibus Turbinatis:*
§. 5. Turbinatorum *Character diſtinctivus.*

§. 6.

§. 6. Concha *Auris humanæ; Fontium artificialium; Triclinii potatorii; Tonſorum; & Pictorum:*
§. 7. *preſſiusq; pro* Turbinatis Paluſtribus:
§. 8. *aut etiam* Buccino Marino.
§. 9. Conchylii *item Significatio quadruplex.*

§. 1. MIſſis iis, quæ circa Purpuræ ac Oſtri Vocabula, notanda vîdebantur, volebam modò ad Res ipſas, ubi opus, digredi. At identidem in primo, quod dicitur, limine detineor; & circa *Conchylii* appellationem obſcuritates quasdam quoque invenio. In quibus tollendis, ut par eſt, *Autor* quoque diligentiam quandam adhibuit; ſed foret optandum, ut in verbis perſpicuus magis, inque ipſo contextu ordinatiùs disponendo, felicior fuiſſet.

§. 2. Quapropter defectui etiam huic medelam paraturus, hac Methodo procedo, quâ omnis tandem evaneſcet Obſcuritas. Notandum nimirum, alias Æquivocationes in voce *Conchylii*, alias in voce *Conchæ*, illius primitivo, haberi; & iterum alias utrique communes eſſe; quod levi additâ diligentiâ, ex ſequentibus poteſt elici.

§. 3. Ad vocem *Conchæ* enim quod attinet, tres ea potiſſimùm Significatus habet; dum accipitur vel

I. *pro Teſtaceo Animali quovis*, ſive ſit Univalve, ſive Bivalve; in quibus, tanquam ſummis duobus Teſtaceorum Generibus, Autores conſiſtunt communiter: ſive Trivalve, aut Plurivalve, quæ addenda exiſtimo. Elegans, quoad Generaliſſimum Vocis Senſum, interim notari meretur locus *Plauti*, in Rudente, (2. 2. 5:)

Salvete Fures maritimi, Conchitæ, atque Hamitæ,
Famelica Hominum natio; quid agitis? ut peritis?

a. niſi

α.
niſi forſan *Conchitæ* hîc, ſpecialisſimè pro Purpurilegis aut Muricilegis capiendi ſint. In genere verò, dum *Concha Teſtaceis omnibus attribuitur*, tribuitur ea Vox porrò vel

{ Totis iſtiusmodi Aquatilibus, Oſtracodermis:
{ Duriori potiùs parti eorum, Teſtæ, in oppoſitione ad Carnem, in eâ contentam.

§. 4. II. *pro Turbinatis*, ut *Autor* noſter docet hoc Capite de Purp. §. 10. 15: quæ Turbinata interdum pro Summo Genere Teſtaceorum Univalvium habentur.

§. 5. Sed iterum haud aptè. Habentur enim etiam *Univalvia* alterius ordinis, quæ propriè-ſic-dictorum more, ex orificio aut Limbo aperturæ patentioris, in Ventrem Volutæ alicujus notabilem, indeque ſpiraliter in umbilicale Extremum non revolvuntur, ut Conchæ Veneris dictæ, Aures Marinæ, Dentalia, Lepades.

§. 6. Et ob hanc revolutæ in ſpiram ventrioſitatis ſimilitudinē proin aliquæ aliæ Res, Translatione non ineptâ, *Conchæ* titulum poſteà acceperunt; e. g. *Portiunculæ Oſſis petroſi, ad Aurem internam* ſpectans; de quâ *Riolanus* lib. 4. Enchir. An. cap. 4. & lib. 6. c. 12. imprimis verò ſtatim lib. 1. c. 1. videatur: vel in Hydraulico opere, & artificialibus *Fontibus Hortorum*, *Pelves æneæ aut marmoreæ* magnæ, Aquam ex Tubulis occultis lætè recipentes: vel in Triclinio, *Pateræ argenteæ, Vitreævè grandes*, in Salutipotationis uſum & abuſum. Vel in Officinis Chirurgicis *Pelves*, quæ inter tondendum Barbam adhibentur. Ut de *Pictorum Conchuliis* tam

α. nativis,

α.

nativis, (collectis in littore) marinis, aut fluviatilibus, quàm figulinis, ſtanneis, vitreis, non multa addam; imprimis quod pereruditè ac pleniùs de his tractat *Celeberr. Joh. Schefferus* in ſuâ Graphice, §. 58. pag. 184.

§. 7. III. *pro Turbinatis ſaltem Paluſtribus*, non marinis; ut colligere eſt ex *Columm.* de Purp. h. l. §. 15. 16.

§. 8. IV. *aut ex marinis, pro Buccino majore, vel Cochleâ marinâ magnâ*, in latitudinem, vel ventrem ampli orificii retortâ, & adhibitâ loco Tubæ â Tyrrhenis, ante inventionem Tubæ, ut *Schrevelius* annotat ad illud *Ovidii* lib. 1. Metam. Fab. de Tritone, Neptuni buccinatore vel tubicine:

—— —— *humeros innato Murice tectum*
Cæruleum Tritona vocat, Conchaq́; ſonanti
Inſpirare jubet. —— —— — & verſum hunc

Virgilii ex 6. Æn. adducit:

Sed tum fortè cavâ dum perſonat æquora Conchâ.

§. 9. *Conchylium* dein, (Græcè Κογχύλιον) ſimiliter viâ Significatûs non conſtanter unius apud Autores, ſed triplicis aut quadruplicis incedit. Dici enim illud legimus

1. *pro Teſtaceo Animali quovis*, ſuffragante *Columnâ*, in hujus cap. §. 10. 25. ſicut Conchæ vox, in antè-dictis, generaliſſimè Oſtracodermis vel Teſtaceis omnibus, attributa eſt.

2. *præcipuè autem veſco*, ut patet ex *Columnâ* ibidem, §. 14.

3. *pro genere Infecturæ, aut Colore*, eximii illius Succi vel Sanguinis Purpuræ, qui in Catinis ſolebat confici, ſuffragante iterum *Columnâ* l. d. §. 8. 9. 10. 12. 10. 25.

a.

4. *& quidem Colore Cæruleſcente Purpureo*, exinde reſultante; vid. *Col.* de Purp. c. 1. §. 11. 12. unde Conchyliata Veſtis, pro Colore iſto purpureo infectâ dicitur.

ANNOTATIO V.

Ad Cap. I. §. 11. 12. 13.

De Eſſentialib9 Purpuræ Differentiis.

Breviarium:

§. 1. *Alia* Fabii Columnæ *cura*;

§. 2. *in proponendis videlicet Purpuræ Differentiis habita.*

§. 3. *Sed Ordo convenientior iterum Eidem ſubſtitutus.*

§. 4. Colorum, *in Ineffabiles ac Effabiles distributio.*

§. 5. *Inter Effabiles Simplices quid propriè Albedo ac Nigror?*

§. 6. *Ruber, Colorum fortiſſimus. Flavus & Cærulus qualis Color?*

§. 7. Compoſiti *quotuplices*?

§. 8. *De Valde-Compoſitis ac Decompoſitis quid cenſendum?*

§. 9. *Tabula primarum ac Simplicium Combinationum.* (Viridis color *cur Oculis gratiſſimus*?)

§. 10. *Schema* Kircherianum, *ex* Aguilonio *deſumtum.*

§. 11. Purpureus *Color, quomodo ſubdividatur*?

§. 12. Purpura in genere, *vel Rubra, vel Cærulea.*

§. 13. Rubra, *dicta olim* Tyria, *& unde?* (*Hercules Inventor Purpuræ. Tyrii, Infectores optimi*) *vel* Sarrana.

§. 14. Phœnicia *item*, Punicea, Hyacinthina, Tarentina.

§. 15. Purpura Violacea. *Ejusq; (ſicut & Rubræ) Differentiæ Graduales.*

§. 1.

§. 1 Sed jam directè ad ipſas Res. *Purpurei Coloris Differentias* quasdam *Columna*, Cap. 1. §. 11. 12. & 13. (quibus adde §. 39.) proponit, & laudem eâtenus meretur : an verò ordine tali id agat, ut Lector Memoriâ ſatietur, iterum penè dubito; & quivis, cui placet, privatim periculum facere de ſe Ipſe poteſt. Equidem Senſum ex verbis fideliter primò extraham, hinc luculentiorem utcunque tractandi ordinem monſtrabo.

§. 2. Senſus *Autoris*, in dictis Paragraphis 11. & ſequentibus expreſſus, eſt hic:

Conchylii, vel Purpuræ Cœruleæ Colorem fuiſſe dilutiorem, vel pleniorem ; §. *11.*

Purpurea Colore ſaturatiore variasſe? *ibidem.*

Purpureum Colorem *Plinio* eſſe, qui ex Cœruleo magis ad Rubedinem tendat, ſaturato ſatis Colore, ut Roſæ purpureæ, quem alibi nigricantis Roſæ Colore ſublucentem dixerit; §. *12.*

Alium Eidem dilutiorem eſſe, ut Violæ præcocis marinæ? *ibidem.*

Alteram ſpeciem Purpuræ, *Plinio* iterum videri, quæ ex Rubro magis ad Cœruleum tendat dilutum, dicique propriè Conchylium, ut Heliotropii, vel Malvæ purpureæ? aut tendat ad Cæruleum magis obſcurum, ut Violæ purpureæ montanæ; *ibidem.*

Huncq; colorem *Illi* dici Auſterum in glauco, & iraſcenti ſimilem Mari; vel *Virgilio* Purpuram, nigræ Violæ ſublucentem; *ibidem.*

Colorem Conchylii, (h. e. Purpuram cœruleam) ſine Buccino fieri; §. *13.*

Buccinum enim ad Rubedinem Roſæ, aut Cocco ſimilem, ferè

tendere, juxta Plinium: Purpuram verò emittere magis Violaceam Saniem; *ibidem*.

Nitorem Cocci quæri, ut (Purpura ad rubedinem ducenda) Sanguinis concreti ſpeciem referat; *ibid.*

Iſtumq; Colorem Tyrium dictum eſſe; *ibid.*

Conchylium in coquendo evadere non debuiſſe nigricantem nimis: ideoque in Buccini Cortinam permutatam eſſe, ut ruborem ſuperacciperet; *ibidem*.

& Rubeum Colorem nigricante deteriorem, *Plinio* dici, niſi ſit adſpectu Concreti Sanguinis; §. 39.

§. 3. Ex quibus, eo Ordine lectis, quo juxta ductum *Columnæ noſtri* hìc adducta ſunt, admodùm dubito, an æquè distinctam *Purpuræ Veteris Differentiarum* cognitionem tàm commodè ſtatim, aut primâ fronte, eruere quis poſſit, atq; efficere in jam-ſequentibus conabor, exorſurus à primo Ovo, quod dicitur, ſeu ſummâ *Colorum distributione*.

§. 4. *Colores* Rerum nimirum diſtinguere ſoleo in

- *Ineffabiles*, (h. e. qui distinctam ſui cognitionem reſpuunt, & cernuntur magis, quàm diſcernuntur; e. g. in principio Vertiginis ac Lipothymiæ.)
- ac *Effabiles*, (h. e. qui peculiari nomine aliquo indigitari poſſunt ac ſolent de Rebus, in quibus primò inventi fuerunt aut excellunt.) Suntq; vel

§. 5.

- α. *Simplices*, principales, aut fundamentales: & hi vel
  - β. *Extremi*, (ut vulgò etiam ſubdividuntur) duo
    - γ. *Albus*; (accuratè aliàs loquendo non tàm Color, quam lucularum puriſſimarum congeries, ex ſpecularibus ſuperfi-

| α. | β. | γ.

perficiebus confuſi Diaphani, ad oculum reflexa.)

& Niger (Apparentia potius, ex aberratione Radiorum Luminoſorum procul ab Oculo, contingens.)

Intermedii tres: quorum

§. 6. *Unus, Exquiſitè medius*, omniumque fortisſimus, *Ruber*. Isque adeò fortis ac efficax, ut irritandis majoribus etiam Beſtiis ſit aptus, juxta Locum *Scripturæ, 1. Maccab. 6. v. 34.* & *Juſtiniani*, lib. 4. Inſtit. Jur. tit. 1. §. 11.

duo reliqui Laterales, Rubro proximi,

Flavus, aut Citrinus, mediocriter validus, ſed Rubro imbecillior:

& Cæruleus, aut Sapphirinus, mediocriter imbecillis, ſed Nigro validior, ortus ex Radiis luminoſis ſparſis, debiliùs ad Oculum refractis.

§. 7. *Compoſiti* aut *mixti*, ex æqualiter utcunq; combinatis videlicet Simplicibus oriundi; iisq; vel

duobus præcipuè, ad vitandam Confuſionem;

tribus aut pluribus; imò Simplicibus & Compoſitis; vel planè Compoſitis & Compoſitis, ut *Decompoſiti*, ſed diſtinctum Oculorum judicium tantò longius eludentes, exin reſultent.

§. 8. Cujusmodi vel ex Simplicibus plusculis *Compoſiti*, h. e. *Valde-Compoſiti*, vel etiam planè *Decompoſiti Colores*, ad nullas ampliùs ſubdiviſiones nos adigent, conſpicui e.g. in Collis Anatum, Caudis Pavonum, ſtriatis Herbarum quarundam Foliis, Soli ac Viſui obliquè obverſis, Plumbo recens-fuſo, & calente adhuc, Pelliculâ Exſtinctionis Calcis vivæ, Bullis Saponariis, in aërem projectis, Texturâ Sericeâ multicoloris fili, & miſturâ confuſionéve Pigmentorum indifferenter multiplicium, aut Rebus aliis: nam emergit talium rerum inexplicabilis varietas, pro diversâ, & infinities penè mutabili commixtionis lege; ac tandem tamen cogimur à Decompoſitis ad Compoſita, & ab his ad ſimpliciores combinandi rationes, in animo retrogredi, usque dum ipſos fundamentales Colores, anteà dictos, in quibus judicium Viſùs determinatò acquieſcat, iterum contingamus. Aut, ſi tres ſaltem Simplices intermedii, h. e. Flavus, Ruber, Cœruleusque jungantur, luridus, lividusvè, cadaveroſus, aut aliàs oculis ingratus Color inde enaſcitur, ob maximè perturbatas Radiorum Refractiones.

§. 9. Ad *Compoſitos* itaque *Colores*, qui proximè reſultant ex combinatione *Duorum Simplicium*, quod attinet; eorum celebrantur præcipuè Tres: Aureus, Viridis, ac Purpureus. Plures tamen alii, quantumlibet minùs flammei aut floridi, propterea non ſunt negandi, utpote verè exiſtentes in Mundo, & ſua etiam habentes Phænomena, à Colorum Simplicium phænomenis vel ſpecificè, vel gradualiter distincta, ut distinctiùs, evidentiùsq; ex ſubjectâ Tabulâ hâc liquet. Quâ videlicet ex

Albo

Albo

& Flavo fieri conſpicitur *Flaveſcens;* vel Flavum Albo vicinum:

& Rubro, Color *Carneus,* vel Incarnatus:

& Cæruleo, Cineraſcens:

& Nigro, Cinereus.

Flavo

& Rubro, Aureus, Fulvus, Croceus.

& Cæruleo, Viridis, gratisſimus omnium, teſte *Syracide,* c. 41. v. 22. Cujus rei ratio in moderamine accurato Refractionum ſita eſt, quam dat Flavus, inter Album lucidisſimum, Rubrumq; fortisſimum intermedius; & Cœruleus, inter Rubrum iſtum impetuoſum, ac Nigrum planè inermem, intermedius. *Illuſtris Carteſius* ad commendandam *Viriditatis gratiam* Simili utitur, à Pane, quem nemo facilè faſtidit, & Octavâ in Muſicis, quæ univerſaliter item delectet, petito; *libr. de Homine,* §. *20:*

& Nigro, Fuſcus; aliis etiam Leoninus.

Rubro


& Cæruleo, PURPUREUS: cujus Differentias, ne Tabulam hanc fuſiùs extendamus, proponemus in mox ſequente Paragrapho.

& Nigro, Subruber vel Brunus.

Cæruleo vel Cyaneo, *& Nigro, Subcæruleus,* vel Nigro propè, propiùs, aut proximè accedens.

§. 10. Cujusmodi Differentias *Kircherus* etiam (*libr.* 8. *Mund. Subt. Sect.* 1. *cap.* 5. *pag.* 14.) ſtrictim tetigit, easque tali

tali circiter Schemate, à me aliquantulùm diſtinctius hîc, pleniùsq; exhibito, adumbrat; & Diſpoſitionem iſtam ſine dubio ex Opticâ *Fr. Aguilonii* (lib. 1. propoſ. 39. pag. 40.)



a. Incarnatus.
b. Viridis.
c. Subruber, brunus.
d. Cineraſcens.
e. Fuſcus.
f. Cinereus.

deſumſit, ut conferre Autorem utrumque volentibus, patebit.

§. 11. Interim tempus eſt, ut directè nunc, ſtratâque Ordinis viâ meliore paulùm, aut commodiore, quàm quæ apud *Columnam*, cœterà *doctiſſimum*, habetur, ad declarandas

das *Purpuræ Differentias* pergamus. Quæ mihi videntur duplices:

Eſſentialis una, quâ *Purpura* (Veterum præſertim) habita eſt vel

I. *Rubra, in Cæruleum tendens,* h. e. aliquantò plus habens Rubri, quàm Cyanei: quam *Petr. Joh. Faber* (lib. 4. Panchym. ſect. 5. cap. 14. pag. 502. b.) putat *ortum habere ex puriſſimo ſulfure rubeo, quod eluceat in principiis ſeminalibus horum Piſcium, &, ut Sanguis in Animalibus* (Sanguineis Terreſtribus putà) *rubeat.*

§.12. Quæ & *Tyria* vocata, teſte *Columnâ* in Epiſtolâ Dedicat: & *Sarrana,* & *Phœnicea* aut *Punicea,* & *Tarentina,* & *Hyacinthina.*

Ac *Tyria* quidem dupliciter,

vel à Tyro, Nymphâ, Amaſiâ Herculis, qui illius Amore, Purpuræ Uſum primus introduxerit, ſi *Polluci* credimus, quem *Polyd. Vergilius,* lib. 3. de R. Invent. c. 6. citat his verbis: *Tyrii ferunt, captum Amore Herculem cujusdam Nymphæ indigenæ, cui nomen Tyros. Quam ſequebatur canis: qui irreptantem ſcopulis Purpuram conſpicatus, peresâ carunculâ, ſua ſibi Labra cruore puniceo infecit. Cum igitur ad puellam adiſſet Hercules, delectata illa inuſitatâ Tincturâ, affirmavit, ſibi cum illo poſthac nihil fore rei, niſi ad Se Veſtem afferret, etiam Canis illius Labris ſplendidiorem. Quocirca Hercules, inventâ Animante, collectoq; Sanguine, munus Puellæ detulit primus, ut Syrii dictitant, Puniceæ Infecturæ Autor:*

α. β. γ. Vel

α. β. γ

Vel *à Tyro Urbe*, ac Tyriis, ejus Incolis: quòd hi Capturâ & Uſu excellentium Purpurarum olim eſſent celebres, & Infectores optimi. Sanè, per *Tyriam Purpuram*, maximè intellectam fuiſſe *Rubram*, nimisquam clarè patet ex his *Claudiani*, (d Nuptiis HonorI, v. 114.)

Amplexu careat Purpura Regio;
Et Veſtes Tyrio Sanguine fulgidas,
Alter Virgineus nobilitet Cruor.

Et *Tyriam veſtem*, tanquam ex Purpureis optimam, notanter poni à Poëtis paſſim invenias. Ex quibus memoriæ ſubeunt *Virgilius* 1. Æn. v. 340. cum *Martiali* lib. 4. epigr. 28. & lib. 6. epigr. 11. Idemq;, quem modò citavi, *Virgilius* 3. Georg. v. 17. *Oſtrum*, (h. e. Purpureum colorem, Arte ex ſuô Teſtaceo excoctum) *Tyrium*, tanquam nobiliſſimum celebrat, ibi:

Illi Victor ego, & Tyrio conſpectus in Oſtro,
Centum quadrijugos agitabo ad flumina currus.

Vel *Sarrana* etiam dicta eſt Rubra *Tyriorum Purpura*. *Sar* enim Phœniciœ olim Urbs, quæ poſteà Tyrus: ac inde *Sarranum Oſtrum*, i. e. Tyrium, vel præſtantiſſimum. *Virgil.* 2. Georg. verſ. 506:

Ut gemmâ bibat, & Sarrano dormiat Oſtro.

Id quod *Sandyſius*, Anglus, aptè declarat, lib. 3. Itinerarii, (German. edit, pag. 466:) agens incidenter ibi de Panni, precioſâ hodienum Tincturâ imbuti genere, *Scharlach*, his verbis: *Welcher Nahme ſcheinet*

α. β. *von*

α. β.

von Ihr, (Urbe Tyro) herkommen zu ſeyn. Dann Tyrus wird Sar genennet, weil Sie auf einem Felſen, davon Syria den Nahmen hat, lieget; &c. maſſen dann die Arabier Scan für San, und Scar für Sar ausſprechen.

§. 13. *Phœnicea item, aut Punica*, à Φοινίσσω, cruento, vel Φοίνιξ, quod ἐρυθρὸν vel rubrum denotat: unde *Phœnices*, populi, vel Rubicundi, dicti, quod apud Ipſös Tinctura Purpuræ vel inventa olim, vel certè celebris fuerit; alio nomine *Pœni* aut *Puni*: quos eösdem cum Phœnicibus eſſe, ex *Salmaſio* docet *Ant. Thyſius*, notis ad *Salluſt.* Bell. Jugurth. p. 242: & *Malum Punicum* dicitur, quod Grana ipſius ex Rubro purpuraſcunt, aut, ut *Ovidius* aptè canit lib. 4. de Pont. eleg 15. v. 8.

Punica ſub lento cortice Grana rubent.

Vel *Hyacinthina* etiam; poſtquam *Hyacinthi* haut ſemel Poëtis vocantur *Purpurei.* Et in ſpecie non tàm Cœruleos illos Flores, Hyacinthi Orientalis nomine hodie cognitos, quàm *Lilia Rubra*, tanquam Sanguine tincta Hyacinthi Pueri, ſubintelligenda ſuadet *Balduinus* (de Calceo Vet. cap. 35. p. 335-336.) *Ovidii* verſiculos (ex lib. 10. Met. Fab. 5.) adducens:

Ecce Cruor, qui fuſus humi ſignaverat herbas,
Deſinit eſſe Cruor, Tyrioq; nitentior Oſtro
Flos oritur, formamq; capit, quam Lilia; ſi non
Purpureus Color his, argenteus eſſet in illis.

Aut denique *Tarentina*; ut in *Columnæ noſtri* ad Cardinalem Sanneſium Dedicatione, Purpuræ ſuæ, videre eſt.

α. β. f 2 §. 14.

α. | β.

§. 14. II. *Violacea aut Cœrulea, in Rubrum tendens*, h.e. aliquantò plus Cœrulei habens, quàm Rubri: quam Mœroris & Gravitatis teſtem, Veteres *Conchylium* dicebant, momente *Columna* L. jam d. & ipſius Contextùs cap. 1. §. 11. 12. addens in mox-ſequente §. 13. ſine Buccino fuiſſe factam, quia Buccinum fecit, Purpuram ad Rubedinem tendere.

Accidentalis altera, in ſpecie *Gradualis*; quâ videlicet Purpura tàm Rubra, quàm Cœrulea diverſas Ruboris ſui aut Cyanei Intenſiones aut Remisſiones habet: quod fuſiùs aliquantùm jamjam declarabitur.

ANNOTATIO VI.

Ad Capitis ejusdem Loca eadem:

De Gradualibus Purpuræ Differentiis: & Cocco.

Breviarium.

§. 1. *Gradus omnes Intenſionum ac Remisſionum in Phœnomeno Purpuræ, ſoli Deo cogniti.*

§. 2. *Simile de Tonis Muſicis, ac Lineali.*

§. 3. *In perceptibilibus Graduum Differentiis eſt ſaltem acquieſcendum.*

§. 4. *Earum Sciagraphia.*

§. 5. Purpura Saturata *quid?*

§. 6. Purpura Dilutior *quid?*

§. 7. Rubra Saturata *duplex:*

§. 8. *(a.)* Excelsè Rubra: *qualia ſunt, quæ ſequuntur;*

§. 9.

§. 9. Roſa *Purpurea, Mileſia:*
§. 10. Coccus, *vel Granum Infectorium;*
§. 11. *Diverſum à Cocos de Maldivâ: à Coculis de Levante:*
§. 12. *à Cocconileâ item vel Cotino: à Cocchenille Indico: Cocco Chermeſino Radicum Pimpinellæ; Coccognidio.*
§. 13. *Cocci Tinctura quatenus cum Chermeſino, Kermes, Scarlato, conveniat, aut non?*
§. 14. *Sanguis floridè rubens. Purpuriſſum ex Sanguine Simiarum.*
§. 15. *Lacca; ejusq́; uſus circumſpectè habendus in Pigmentis.*
§. 16. *Purpura Dibapha, vel bis tincta.*
§. 17. *Et (b.)* Profundè-Rubra, *vel Saturata obſcurior; in Caryophyllo, Sanguine concreto, Bitumine.*
§. 18. Rubra Dilutior: *e.g. in Tulipis.*
§. 19. Violacea Saturata *duplex.*
§. 20. (*a.*) Violacea excelsè.
§. 21. *&* (*b.*) Violacea Profundè.
§. 22. Violacea Dilutior.

§. I. E*ſſentiales* Purpuræ *Differentias* ſequuntur *Accidentales;* ſub quorum Genere *Graduales* ſtant. Perque eas intelligo Diverſitatem eam, quâ Purpuræ juxta distinctos *Exceſſuum aut Defectuum Gradus Rubedinis ſuæ ac Cæruleſcentiæ,* in tot discrimina, & veluti ſpeciës novas, ultrò citròque à Se abeunt, quot alterutrius ſunt Atomi Coloris, vel Corpuſcula, in mixturis conſpicua quidem, ſed non determinabilia (quoad numerum) ullâ humanâ ſolertiâ, ſed ſoli DEo cognita; & imitanda tam difficulter omnia, imò pleraque ſaltem, in Pigmentorũ ſyntheſi, quàm deſperati res plena laboris foret, aut communiter eſt, exhibere exactè graduales Colorum omnium Differentias, quæ vulgò tantùm in Capillitiis Hominum

occurrunt; in multiplici Foliorum Virore; aut Tuliparum, vel aliorum Florum, mirabiliter-diſcrepante Rubedine.

§. 2. Et potiùs *Differentiæ* eæ, quas fortè datur diſtinguere, habent ſe, ut *Claves, Toni*, *aut Semitonia in Muſicis:* quorum quidem, vulgò notorum, videtur unus alterum immediatè conſequi; ſed certè in ipsâ Naturâ Soni, ejusque Exaltationibus ac Depresſionibus, multò plures occurrunt Diſcrepantiæ, judicium Auris eludentes, quia conſiſtunt in ſtrictisſimis quibusdam Minutiis, non ſecus, atque in *Ulnâ* vel *Lineali*, pedem Geometricum, vel XII. Uncias longô, non animadvertimus, an in unâ vel alterâ Unciâ inter metiendum alias res, exceſſus aut defectus admittantur Punctulorum duorum, trium, aut quatuor. Si verò anomaliæ illæ nimiæ ſint; evidenter quoque cadunt ſub viſum, & differentiam notabilem pariunt, peculiari nomine, fracti vel integri Unciarum Numeri, mox mox exprimendam.

§. 3. Itaque in *diſtantioribus Purpuræ Differentiis* eſt neceſſariò acquieſcendum, tanquam Variationes plùs perceptibiles in Organo Viſûs ſubminiſtrantibus: neque ſi judex earum aliquis abeò callidus, exercitatusque ſit, (quale quid de Mercatoribus putatûr) ut triginta, quinquaginta, imò vel centum Purpuras, ſciret quambene diſcernere; veruntamen juraret, ſingularum Paribus alternatim ſumtis, non posſe identidem novas ſpecies intercedere; & harum quibusvis combinationibus iterum alias; ad Millenarios usque ac ampliùs.

§. 4. Quin, ut ea, quæ & cerni communiter à nobis poſſunt, & diſcerni, hîc maximè ſectemur; *Purpura* tam Rubra, quàm Cœrulea, juxta *perceptibiles* Colorum *Gradus*, ejus-

ejusque Intenſiones ac Remisſiones, rectisſimè diſtinguitur

- *in genere*, in
  - Saturatam, de quâ h. l. §. 5.
  - & Dilutam: de quâ §. 6.
- ac *in ſpecie* dein, in
  - *Rubram*; Eamque vel
    - Saturatam; de quâ §. 7. Et quidem dupliciter:
      - excelsè; de quâ §. 8. & ſeqq.
      - & profundè: de quâ §. 17.
    - & Dilutam: de quâ §. 18.
  - & Violaceam aut Cœruleam: eamque pariter in
    - Saturatam; de quâ §. 19.
      - excelsè, de quâ §. 20.
      - profundè: de quâ §. 21.
    - & Dilutam: de quâ §. ult.

Ad hujusmodi Differendi modos ac ſpecies, diſcrimina quævis reducuntur, Memoriæque ſine negocio imprimuntur.

§. 5. *Purpura Saturata* videlicet, (*Saturans rectiùs*) *in genere* eſt, quæ Atomos ſui generis quàmcompactisſimè locatas habet, citra intercurſum foveolarum multarum, aut coloris præſertim tertii generis. Ita primus, quod ſciam, ego deſcribo: & laudo eos, qui aliàs, cum *Columnâ* c. 1. §. 11. *pleniorem*, aut firmiorem; vel *floridum*, h. e. (ibidem ex Plinio) *Flores, qui Colore commendantur, provocantem,* vocant.

§. 6. *Purpura Diluta* è contrario eſt, quæ in materiâ laxiùs diſpoſitâ eſt, vel ob interventum tenuioris cujusdam Rei, præſertim Aquoſæ, fortitudinem ſuam, Viſum movendi amiſit, prout Cibus aquoſus Nutrimentum etiam præſtat minùs ſtabile, ad ſaturitatem ducens, aut firmum.

§. 7.

§. 7. Ac in ſpecie dein *Purpuram Rubram Saturantem* vel pleni Fulgoris, diſtinguo in Rubram excelsè, & Rubram profundè.

§. 8. *Rubra excelsè* eſt, quæ adeò multum habet Rubedinis, ut quò longiùs longiùsque à Cyaneo videtur recedere, eò propiùs propiùsq; accedat intenſæ Rubedini, & tantum non Minium aut Cinnabarim æmuletur. Cujus generis Purpura (ſub diſpari tamen Intenſionum ratione) effulgebat olim, aut etiamnum effulget, e. g. in *Roſâ purpureâ, Cocco, Sanguine, Laccâ;* & olim imprimis in celebratâ tantopere *Purpurâ Dibaphâ.*

§. 9. *Roſæ Purpureæ* exemplum ipſe inculcat *Columna*, c. 1. §. 12. eâque adſpectu nil eſſe gratius, paulò antè (§. 11.) ex *Plinio* dixerat; qualem imprimis *Mileſiam*, (*Plinio* eidem dictam) celebrat *Sachſius*, (Gammorol. lib. 1. cap. 16. pag. 370.) quam Damaſcenam *Lobelius*, intensè rubentem *Camerarius*, & Domeſticam Puniceam *Matthiolus*, citante *C. Bauhino* (Pinac. Theatr. Bot. lib. 12. pag. 481. a ſub Roſæ Rubræ titulo) appellat.

§. 10. Et *Coccum* dein *Autor noſter* (§. 11. 13.) cum eâdem comparat. Quo Nomine tres præcipuè Res intelliguntur: (I.) *Frutex* ipſe, dictus *Ilex Coccifera*, vel Ilex Aculeata Cocciglandifera *C. Bauhini*, (lib. XI. Pinac. pag. 425.) aut Coccus Baphica *Dioſcor.* Frutex ſurculoſus, in multis Hiſpaniæ locis, inque Galliâ, propè Monspelium, nascens, foliis oblongis, in ambitu, (inſtar Aquifolii) aculeatis, baccis rotundis, rubris, ad tingendum ſumtis: quam plantam omnium conveniêntisſimè *Bellonius* (lib. 1. Obſ. c. 17.) deſcribit. (II.) *Baccæ præſertim*, famoſisſimi ejus Fruticis, vel *Grana*, Lentis magnitudine, aut Piſi minoris, colore Sanguineo rubentia, ſed albo pulve-

pulvere adſperſa, ut habetur in Epitome *Matthioli*, (p. 774.); in quorum medullâ generantur rubri *Vermiculi*, (unde Gallis Vermeillon) ex quibus, antequam avolare poſſint, captis, fit Tinctura: maturi enim redditi, veſiculã, in quâ continentur, rumpunt, & avolant, notante *Urſino* Vol. 1. Anal. Sacr. l. 3. c. 29. p. 204. Aliquibus *Baccæ* ſimpliciter; vel *Granum Infectorium* (Italis Grana da Tingere:) ab usu, Sericum aut Sericeas Laneasq; veſtes Succo ſanguineo animaculorum iſtorum, aut Succo Granorum imbuendi; Germanicè Scharlach-Beer: Græcè Κόκκος: unde *Coccinea Purpura*, i. e. rubra: *Coccina Veſtis*, quæ Cocci, vel Vermiculorum ejus, Succo tincta eſt. Quam Vocem reperio in Sacris, *Matth.* 27. *v.* 28. περιέθηκαν αὐτῷ χλαμύδα κοκκίνην, *circumdederunt Ei chlamydem coccinam:* vel *Coccinum*, ſubſtantivè, *Apocal.* 17. *v.* 4. Καὶ ἡ γυνὴ ἡ περιβεβλημένη Πορφύρα καὶ κοκκίνῳ, i.e. *Et mulier erat circumdata Purpurâ & Coccinno:* cùm quo loco confer mox mox cap. 18. v. 12.

§. 11. Sed iſtud noſtrum *Coccus aut Coccum* (perinde enim id legitur) minimè confundendum eſt *ſive cum Cocos aut Coccos de Maldivâ*, ſic dicto apud *Garziam ab Horto* lib. 1. Hiſt. Arom. c. 26. Palmæ Indicæ ſcil. genere, fructus anguloſos ſubrotundos, extrinſecùs villoſos, parandæ variæ ſupellectili idoneos, intùs cortice perquam-duro, & in vaſa ac pocula tornabili conſtantes, ferente: quo nomine tamen alios, ovales, ab his diverſos fructus, depingit *Chabræus* de Stirpib. p. 29. convenientes cum Nuce Medicâ, de quâ *Augerius Clutius* perſcripſit: *ſive cum Coccis Orientalibus*, vel Granis Orientis, Cocco Maldivenſi multùm minoribus, Cocculis de Levante (vel Cocculis Elephanticis, corruptè) aut Cocculis Officinarum dictis, noxiæq; virrtutis; quorum Plan-

ta vel Arbor, judicio Ejusdem *Chabræi* (d. l. p. 26.) incognita, virtusque cæteroquin egregia ſit, ad Piſces infatuandos; (vide Append. *Ejusdem* p. 597. 598.)

§. 12. *Nec Confundendum cum Cocconileâ, vel Coggygriâ,* quæ pro Cotino *Plinii*, vel Cotyno coriariâ, habetur, tingendis (ratione Radicum & Ligni, non verò Baccæ ullius) pannis apta: *ſive cum Ficûs Indicæ Granis, Cocchenille, vel Cochinillia* vocatis, apud *Bauhinum*, (Pinac. Botan. pag. 458. b.) quæ nihil aliud ſint, quam Vermiculi, Foliis adhæreſcentes, & tenui pelliculâ obducti, in Indiâ (occidentali), & nati ſimili ratione, atque *Bellonius* ante-laudatus refert, (in fine dicti capitis) aliud inſuper genus inveniri, cujus neque Veteres, neque Recentiores meminerint, *Excrementum in Myrtis naſcens,* unico Animali vivo, Veſiculâ incluſo, præditum: *ſive cum Cocco Radicum,* ſeu Granis rubentibus, quæ Pimpinellæ radici adnaſcantur, & Serica roſeo colore tingant, *Chermeſin,* vocato, ſuffragante Epitomatore *Matthioli*, dum (p. 773.) ſub Cocci Infectorii Imagine hanc Cenſuram addit: Non rectè, inquiens, ſentiunt, qui Coccum Infectorium, & Chermeſinum idem faciunt: *ſive demum cum Coccognidio* vel Granis maturis rubris Laureolæ, primo ſtatim Vere, Flore purpureo, ſuaviter fragrante, ſuperbientis.

§. 13. (III.) *Cocci nomen* abſtractè obtinuit *ipſe Color* tam Cocco proprius, aut Veſtibus eodem tinctis; quàm Rebus quibusvis aliis, competens, modò inſigni utcunq; aliquâ, ad Coccum plus minùs *Rubedine*, accedens; ut imprimis in *Charmeſin, vel Chermeſino* videmus, quem utique â Cocco diſtinctum quid eſſe, modò diximus. Nihilominùs ipſemet Coccus etiam *Carmeſini* nomen interdum accipit; & coincidere cum *Kermes* vel *Chermes Arabum* putatur adeò, ut decantatiſſi-

tiſſimam etiam hodie, toto Terrarum Orbe *Confectionem* Cordialem Monſpelienſium, de iſto potiùs, quàm Cocci nomine, Nomen ſuum ac famam obtinuiſſe, & *Alkermes* vocari, conſtet; rubore ſuo micantem à Cocco, cujus Succo imbutus Pannus, peculiariter *Scarlatum* dicitur, Coloribus reliquis, imò Colorum Colori & velut Luci, (Albedini) ambitiosè quaſi imperans, juxta illud *Horatii* lib. 2. Sat. 6.

—— —— Rubro ubi Cocco
Tincta ſuper Lectos canderet Veſtis eburnos.

Atque Cocci iſtum fulgorem à *Poëtâ* pro Purpuræ ſpecie habitum fuiſſe, interjecto mox uno aut altero verſiculo, ibidem ex connexâ Voculâ *Ergo*, conſtat:

Ergò ubi Purpureâ porrectum in Veſte locavit, &c.

§. 14. Porrò *Sanguinem*, ad exprimendam *Purpuræ Rubræ*, *ſaturatò celsèq. micantis* naturam, ſuperius (§. 8.) Exempli loco adduximus. Cujus aſſerti fidem ut operosè quæramus, ob quotidianam tot Sanguinum, ex Homine ac Brutis effluentium copiam, ex morâ conceſsâ dein magis magisq; cœruleſcentem, haut videtur opus. Imó *Purpureum* jam olim *Sanguinem* notanter *Homerus* vocavit alicubi, in excogitandis ad naturam rei Epithetis aptis, felix. Quem Latinorū poſteà Phraſis; *Purpuream vomit ille Animam*; & ſimiles, ſunt ſequutæ. Quare ex Recentiorum Scriptis hoc unicum ſaltem addam, quod inſigniter facit ad Rem. Ita enim ſcribit *diligentisſimus ac politisſimus Autor, Eraſmus Franciſci:* (part. 1. Oſt- und Weſt-Ind. Luſt-Gartens, p. 390.) *In dem Königreich Sina hat es eine arth Affen, ſo man Singſing nennet; aus deren Bluth man eine köſtliche Purpur-Farbe zurichtet. Wenn man dieſelbigen wil fangen, ſetzt man einige Geſchirr mit Wein in den Wald, welchen ſie treflich gern ſauffen, und ſich gantz und*

gar darinn bezechen: hernach, wenn ſie alle voll, kan man ihrer ohne ſonderbahre Müh fähig werden.

§. 15. Nec *Laccæ*, ſive Nativæ adhuc, ſive ad formam Pigmenti redactæ, eſt hic obliviſcendum. Quæ quidem vulgò videtur ad *Colores excellenter-Rubros* ſpectare: eandem tamen etiam, non ſine mixturâ Cyanei, tàm floridè *Erubeſcere*, pictoribus præſertim conſtat, qui temerè utique agerent, ſi Aureum Colorem ex Flavo & Rubro miſturi, Laccam Auripigmento adderent; quia Cœruleum (in Laccâ) clam ſubrepit, & deſiderati Phænomeni gratiam evidentisſimé evertit. Quæ fuſiùs his verbis declarantur ab *Aguilonio* (merentur enim adſcribi) dum lib. 1. Optic. Propoſ. 39. pag. 41. ſic ait: *Plurimùm intereſt, an Lacca, an Ceruſſa* (quæ itidem, ſed ſimpliciter, Rubet) *in Aurei Purpureivè Compoſitionem adſumatur. Sandaraca namq;* (h. e. Auripigmentum, quod flavum eſt) *Ceruſſæ toſtæ indita, aureum jucundum gignit; non item verò commixta Laccæ, quod hæc Cærulei portionem habeat, quæ juncta nativo Rubori, Flavæq; Sandaracæ, trium Simplicium Miſcellam producit, auſteram ac invenuſtam. Rurſus Laccæ rubedo, quæ Cærulei quadantenus eſt particeps, adjuncto quidem Indico* (quod Cœruleum eſt) *in vividum Purpureum commutatur: Sandaracæ verò intrita, ob trium Simplicium congresſionem, liveſcit, & prorſus auſtera evadit.*

§. 16. Imprimis verò maximam apud Priſcos, *Rubei Excellentis aut Excelſi Fulgoris* gloriam, preciumque præ aliis, nacta eſt *Purpura Tyria Dibapha*, h.e. bis-tincta, ut ex *Columnâ*, in præſentis Capitis §. 22. diſcimus: deſcendente voce à Græco δὶς, i. e. *bis*, & βάπτω, *tingo*. Unde etiam βαπτίζω, *intingo, vel mergo*; eratq; Baptismus olim Lavacrum immerſionis utique, nec verticalis tantum irrorationis aut irrigationis.

nis. *Dibapho* autem Magiſtratus Romanus, tanquam precioſiore Purpuræ genere, in Prætextâ utebatur: & facetè *Cicero* alicubi: *Curtius*, inquit, *noſter* δίβαφον *cogitat: ſed eum Infector moratur.* Cujus Purpuræ Titulum Græcum, Romani quidam Poëtæ, tanquam eodem genio acti, ſic circumſcribunt; *Horatius* nempe, lib. 2. Od. 16:

— — *Te bis Afro*
Murice tinctæ
Veſtiunt Lanæ. — —

Seneca, in Hercule Oetæo, verſ. 663:

Nec Sidonio mollis aheno
Repetita bibit Lana rubores;

& *Claudianus*, lib. 2. de Laud. Stiliconis, verſ. 333:

— *tincta ſimul repetito Murice fila*
Contulimus penſis. — —

Interceſſiſſe tamen his etiam Pannis diverſos gradus Tincturæ ſuæ, aut *Purpurei excellentis Ruboris*, vero perſimile, imò neceſſarium eſt: quis enim vel cœruli, vel rubri congredientes in Tincturam nunc hujus, nunc alterius Texturæ, Atomos omnes ultro citròque numerabit?

§. 17. Quin his miſſis, ad *Purpuram Rubram*, non excelsè amplius, ſed *profundè ſaturatam*, memor ſuperiùs. (§. 4.) dictorum, ut me convertam breviter, & hanc etiam Exemplo uno ac altero declarem; dico paucis, ipſummet *Autorem noſtrum*, facere (cap. I. §. 13. & 39.) *Concreti Sanguinis* mentionem. Et penè profundioris aut obſcurioris, (cum miſturâ cœrulei,) Rubedinis, ſolent eſſe *Caryophylli* quidam hortenſes fl. pleno. Omniũ *profundiſſimam* verò *Purpuram Rubeam*, ſed ſaturanter tamen Viſum afficientẽ, exiſtimo eſſe eam, quæ ex *Bitumine* reſplendet, nigredini penè proximam, ſi ſtandum à

partibus *Dioſcoridis*, qui, citante Ipſum *Aldrovando* (lib. 3. Muſ. Metall. cap. 14. pag. 379.) inter Notas genuini Bituminis, primam refert hanc, ſi Purpuræ modo ſplendeat.

§. 18. Saturatæ huic Rubedini purpureæ oppoſita dein fuit *Dilutior:* qualem forté in *Tulipis* quibusdam, ex Rubro cœruleſcentibus, ante plenam ſui eruptionem, vel etiam dum ſenſim exoleſcunt, & Folia Floris habent decidua, quis quærat.

§. 19. *Alterum Genus Purpuræ, h. e. Violaceæ*, ſimiliter in Saturatam & Dilutam distinguebamus. Et *Saturatam* porrò ſtatuimus, Excelsè aut Profundè talem.

§. 20. *Excelsè aut ſummè talis*, vel maximè florida, cenſetur ab *Autore* (Cap. I. de Purpurâ, §. 11.) ex *Plinio*, conſpici in Violâ Serotinâ, *Conchyliorum*, ut ibi ſcribitur, *vegetisſimâ.*

§. 21. *Profundior aut Obſcurior*, dicitur Nigricans, vel (*Plinio* eidem) *Color Auſterus in Glauco, & iraſcenti ſimilis Mari*, citante *Columnâ*, (l. d. §. 12.) Exemplumque ibi infertur *Violæ* purpureæ Montanæ, quam *Virgilius* proin Nigram dixerit: & nos non inſulsè addi hîc poſſe *Malvam* hortenſem atro-purpuream, cenſemus.

§. 22. *Violacea Dilutior* demum notatur ab *Autore noſtro*, conſpicua eſſe in *Heliotropio* (§. 11.) & *Amethyſto*, quem Ianthinum, (h. e. Violaceum, κατ' ἐξοχὴν quaſi) vocaverit *Plinius* ſæpe-laudatus: quo ipſo de Gradualibus Purpurarum Differentiis jam ſit dictum ſatis.

ANNO-

ANNOTATIO VII.
Ad Cap. I. §. 20. 21. 22. 23. & 24.
De Murice.

Breviarium:

§. 1. Muricis *Vox ambigua.*
§. 2. Murex *pro Eminentiis acutis Scopulorum, Carduorum, Teſtaceorum, & ex iis Purpuræ.*
§. 3. *Pro Purpurâ totâ, (Animali) præcipuè Menſis illatâ.*
§. 4. *Pro Tincturâ. Sacer Murex quid?*
§. 5. *Pro Turbinatis quibusvis, Aculeo præditis. Murileguli, aut Muricileguli.*
§. 6. Muricum *multæ Species.* Murex *Auritus maximus marmoreus* Columnæ.
§. 7. *Pro Turbinatis Aculeatis, Tincturæ aptis: & pro Turbinatis, imò planè Teſtaceis, in genere.*
§. 8. *Atq; ſic abuſivè etiam pro Buccino.*

§. 1. M*Uricis* porrò iterata apud *Autorem noſtrum* mentio fit, in diverſis Capitis hujus locis, diverſoque Senſu. Quapropter in his etiam aliquis ordo quærendus eſt; quem breviter & convenientisſimè exiſtimo eſſe talem:

§. 2. Accipitur nimirum vox ea (1.) propriè & famoſisſimè *pro Aculeis & Eminentiis,* quemadmodum Rerum quarumlibet, e. g. *Scopulorum* Maris, apud *Virgilium,* aut *Cacuminum,* ad *Carduos* Sylveſtres pertinentium, apud *Plinium,* citante utrumque Autorem *Columnâ,* hoc Cap. §. 21: ita *Teſtaceorum,* aculeis longis aut brevioribus, craſſis, tenuioribusvè conſtantium; & præſertim *Purpuræ,* (ibid. §. 24.) tanquam Animalis Teſtacei, Muricibus, in ambitu armati, & velut

velut Munimentum undique, ad Leges *Fortificatoriæ*, muniti. Ita enim bellè ſatis loquitur *Ludovicus Moſcardus*, Nobilis Veronenſis, (in Deſcriptione Italicâ proprii ſui Muséi, lib. 3. c. 53.) hanc in Rem: *é fortificata di moltiplicate Punte, come chiodi, con belliſſimo ordine diſpoſte.*

§. 3. (2.) Tralatitiè magis, & ampliatione quâdam, *pro Purpurâ totâ*, vel Animali Teſtaceo, aculeato, ex quo Purpurea Veſtium Tinctura olim parata eſt; ſuffragante *Columnâ*, cap. I. §. 3. 20. 21. & 22. *Plinii, Ovidii*, ac *Horatii* autoritate utens; quorum Verba ipſa nolo retrahere huc. Aut (3.) in ſpecie *pro Purpurâ, Menſis illatâ*, Conchyliumque Græcè dictâ: *Columnn.* l. d. §. 23.

§. 4. Vel (4.) pro *Colore Purpureo, Pannisvè*, eodem tinctis. Ita enim *Autor* noſter l. d. §. 22. *Tyrius Murex*, inquit, *id eſt, Purpura, in Tyro tincta, ex Tyriis Muricibus; ſcilicet Purpuris.* Et confeſtim addit: *Sed & Murex Tyrius pro Colore ipſo acceptus fuiſſe, patet apud Virgilium.* &c. Et *Sacrum Muricem* ſimili ſenſu acceptum, offendas in Corpore Juris Civilis, (*Leg. 3. Cod. de Veſtibus Holoberis, Lib. 11.*) his verbis: *Vellera adulterino Colore fucata, in ſpeciem Sacri Muricis, intingere non ſinimus.*

§. 5. Et quoniam Purpura (Animal) eſt Turbinatorum tam Aculeatorum, quàm Aculeo carentium, imò in genere, Teſtaceorum facilè omnium Regina; adhuc laxiùs diducta eſt *Muricis* ſignificatio, & per illum notantur (5.) *Turbinata quævis, Aculeis prædita;* quorum Piſcatores antiquitùs dicebantur *Murileguli* (*Rubricâ de Murilegulis, lib. 11. Cod.*) rectiùs ſine dubio *Muricilegi*, vel *Muricileguli* vocandi. Protrahebant enim ex Mari non Mures, ſed Murices, h. e. Teſtacea Turbinata, aculeis prædita.

§. 6.

§. 6. Quorum Species ſunt perquam multæ; ſed inter illas notatu digniores, *Purpura*, ob quam totus hic *Columnæ* Tractatus primariò conſcriptus eſt; & *Murex Auritus Maximus Marmoreus Exoticus*, quem alio in loco, *in Obſervationibus videlicet Aquatil. & Terreſtrium, cap. 31.* deſcribit, verbis ſequentibus; quæ huc infero, tùm ob affinitatem materiæ, tum ob raritatem Scripti. Itaque iſthæc ſic ſonant: *Interno Colore, lævore, duritie, & pondere marmoreo cum ſit Teſtaceum hoc, hujusmodi variis cognominibus denominare placuit. Muricis nomen tribuimus, non quod planè Muricem eſſe aſſeramus; ſed quòd ex eo genere eſſe videatur, ob Tuberculos novem circumdispoſitos, per Orbem medium, quanquam non aculeatos. Turbine ita brevi definitur, ut ab excedente Oris marginis appendice, ſive Limbo, Aurem effigiante, occultetur, unde Auriti cognomen. Exteriùs obliquè Striatus leniter, ad oris limbum usque, qui contrario modo rugoſus eſt; juxta illius circumferentiam Roſtri vice teſta recurvatur, & deficit, foramen relinquens ad Linguæ uſum. Oris hiatus ab aliis omnibus differt, quod non rotundus, & lævigatoriæ Conchæ modo, ferè oblongus, anguſtus; ſed lævis, & parallelis Lineis definitur; & in imo appendice magna, lata, plana, ſicuti & tota Oris margo veluti depreſſa. Neapoli ab Amico, Fontium conſtructore, dono habuimus, quindecim abhinc annis. Sesquipedalis eſt longitudinis teſta, oris rima pollices decem, duos lata.*

§. 7. Vel (6.) ex *Turbinatis aculeatis ea præcipuè, quæ Tinctura apta.* Ita enim iterum in præſenti *Autoris* cap. I. de Purp. §. 20. legimus, citantis *Plinium* pro Se. Et (7.) indifferenter *pro Turbinatorum Genere*, eundem *Plinium* poſuiſſe, ibidem ait: quæ Turbinata, conſtituunt aut complectuntur ple-

rasque ſpecies Teſtaceorum Univalvium; ſed non omnes; uti jam ſupra alicubi etiam, ni fallor, monuimus. Imò (8.) univerſaliter *pro communi genere Teſtaceorum omnium*; quæ magna profectò Vocis ampliatio eſt, ut major penè vix eſſe poſſit.

§. 8. Quo prætextu denique, in defenſionem ſui, indubiè *Plinius,* ſi viveret, ſit uſurus, quod *Muricem* (9.) peculiariter quoque *pro Buccino* dixerit, ut ex *Columnâ l. d.* conſtat. Quod Buccinum, ſtans ſub Genere Turbinatorum, ſub ſe Buccina quidem aculeata hoc ipſo complectitur; & eatenus cum iis Muricis Vox quadrare poſſet: ſed auſim dicere, Buccina glabra é contrario, aut Striata quantumvis etiam, vel rugoſa, non-aculeata tamen, aliquantò Aculeatis plura eſſe, aut certè vix pauciora. Itaque quàm benè his etiam (Non-Aculeatis) Nomen iſtud attribuatur, non video. Ipſeque *Columna* toties cæteroquin totiesque *Plinii* Autoritate uſus, *Improprietatis* eundem, in hoc negocio, arguit, (§. 21.) *quia in Buccino* (ſunt Ipſiusmet Verba) *non ſunt aculeati & extuberantes Orbes.*

ANNOTATIO VIII.

Ad Cap. I. §. 24.

De Purpuriſſo & Purpurinâ.

Breviarium:

§. 1. *Locus* Plinii, *de Purpuriſſo, adductus.*

§. 2. Purpuriſſum, *ſpuma ferventis Purpuræ, Pigmentis adhibita:*

§. 3. *& quidem Rubris.*

§. 4. *Fuci Virginum Albi, Nigri, Rubri.*

§. 5.

§. 5. Purpuriſſum *ex Ovo inductum quid? Colorum madentium diſcrimen.*
§. 6. Purpuriſſum *ex Cretâ Argentariâ.*
§. 7. *Creta Argentaria quid? ejusq; uſus.*
§. 8. *Oſtrum Vitruvii. Et unde dictum?*
§. 9. *Tranſitus ad* Purpurinam.
§. 10. Purpurina *abuſivè pro Pigmento flavo vel aureo.*
§. 11. [Alexii & Cardani *modus, illam parandi.*]
§. 12. *Et pro Genere Lapidum Armatorum.*

§. 1. SUperiùs (Annotat. II. §. 9.) dictum eſt, per *Purpuriſſum & Purpurinam,* notari quoddam Pigmenti genùs; & de eo clariùs paulùm, inferiùs (h. e. in hoc ipſo loco) agendum eſſe, imprimis quod *Autor noſter* d. Purp. c. I. §. 24. ad id occaſionem nobis ſuppeditet, quando ex *Plinio* ſuo hæc verba affert: *Si Purpuram facere malunt, Cæruleum ſublinunt; mox Purpuriſſum ex Ovo inducunt.* Ex quibus hæc tria imprimis licet colligere; Purpuriſſum, Pigmenti genus fuiſſe; & quidem Rubei: inductumque ex Ovo fuiſſe. Dumque ex ejusdem *Plinii* lib. 35. c. 6. addit inſuper hoc; *Purpuriſſum fieri* (aut factum ſuo tempore fuiſſe) *ex Cretâ argentariâ, ac Sanie Purpuræ, quod idem cum Oſtro Vitruvii* eſſe videatur: ſigillatim tàm hæc, quàm modò dicta reliqua, breviter explicaturi ſumus.

§. 2. *Pigmentis* itaque (I.) annumeratum *Purpuriſſum* fuiſſe, conſtat tum ex jam-adducto loco *Plinii,* tùm ex initio Capitis ejusdem, ubi illud Autor recenſet cum *Pigmentis Floridis,* & convenienter hâc Annotatiunculâ *Dalechampii* illuſtratur: *Ut Indicum,* inquientis, *Spuma eſt, innatans cortinis, in quibus Glaſtum coquitur pannis tingendis; ſic Purpuriſſum Spuma eſt, collecta efferveſcente Purpurâ, cum ex eâ Tinctura*

conficitur. Loco Purpuriſſi Pictores nunc utuntur Laccâ, mixtâ cum Cæruleo. Dicique Mixturam hanc Polluci ἀνδρείκελος, Germanicè Leib-Farbe, Doctisſimus *Sachſius* ſuggerit, lib. 1. Gammarol. cap. 16. pag. 370.

§. 3. Et quidem (II.) *Pigmentis Rubris.* Id enim videtur exinde colligi, quod *Plinius* dicebat, *Cæruleum* fuiſſe *ſublitum,* ſi Purpura facienda eſſet, & mox *Purpuriſſum ex Ovo ſuperinductum.* Nam eo ipſo, quo Purpuriſſum Cœruleo fuit ſuperlitum, ut Purpureus ex his duobus Color prodiret, exiſtimo eſſe evidens, Purpuriſſum nil aliud, quàm *Rubram Tincturam* aliquam fuiſſe, qui Purpureus color, per naturam ſuam, ex Rubro & Cœruleo compoſitus eſt, ut ex iis præſertim, quæ ſuperiùs in Annotatione V. & VI. adducta ſunt, liqueſcit.

§. 4. Conſtituitque hoc pacto, præter uſum, quem in Pictoriâ præſtitit, in *Coſmeticâ Virginum* tertiam *Fuci* ſpeciem: nempe *Rubri,* ad genas tingendas; poſtquam aliæ easdem, ut expalleſcere potiùs faciant, *Albo,* (ceruſſâ videlicet, aut ſimilibus) utuntur: & ad Supercilia *Nigro* colore tingenda, olim præcipuè Stibium adhibitum eſt; de quo pluſcula non injucundè hic pertractari poſſent. Sed non migrandum eſt extra Oleas.

§. 5. Quin de *Purpuriſſo* potiùs porrò (III.) quid opinandum ex verbis, quod illud *ex Ovo inductum ſupra Cæruleum,* ex *Plinio* diſcimus? Equidem, niſi ſequenti Conjecturæ locus, neſcio aliter locum hunc vel capere ipſe, vel Lectori benevolo explicare. Notum videlicet, ex Arte Pictoriâ, eſt, *Colores ſiccos madidos reddi,* & per hoc tractabiles, pro Scopo Picturæ, tribus præcipuè adminiculis fieri: vel (1.) *Aquâ,* quæ aut ſimplex penitus eſt, aut Sapone diſſoluto imbuta,

aut

aut Felle bubulo; aut, loco Aquæ, *Aquâ Roſarum, Spititu Vini, Aceto, Lixivio*; vel (2.) *Oleo*; vel (3.) *Glutine* aliquo, cujus certæ Species, præeunte *Clariſſ. Scheffero,* in Graphicâ ſuâ, vel Arte Pingendi, (§. 56. p. m. 181.) factæ nimirum ex Boum Cornibus, Ungulisque; vel Membranis animalium puris; vel ex Auribus & Genitalibus Taurorum; vel, pro picturis, in chartâ, delicatioribus exhibendis, ex Gummi Arabico aut Tragacantha. Cujusmodi Gummatum Solutio, quemadmodum quò ſpisſior facta, eò magis viſciditatem transparentem *Albuminis Ovi* æmulatur: ita factum puto, ut Veteres ipſomet *Albumine Ovi* ad temperandos Colores uſi fuerint. Iſta certè eſt mea qualiscunque in *Plinii* locum Conjectura.

§. 6. Quâ poſitâ ulteriùs (IV.) ſequitur, ut quomodo *Purpuriſſum* cum *Cretâ Argentariâ*, cujus *Idem Plinius* mentionem injecit, (l. ſuperiùs d.) quadret, perpendamus. *Ex Creta Argentariâ* enim, *& Purpuræ Sanie factum eſſe,* dixerat. Ita verò ſe res habet: Dum Purpura in aheno coqueretur, Cretæ iſtius partes immittebantur eò, ut inebriarentur. Et inebriabatur Creta hoc pacto; imò *celeriùs, quàm ipſæ Lanæ,* ut notat *Philander* ad *Vitruv.* lib. 7. cap. 14.

§. 7. Hæc *Creta Argentaria* apud *Plinium* (lib. 17. cap. 8.) habetur pro altero Cretæ genere. *Wormius*, noſtro ævo clarisſimus, lib. 1. Muſ. Sect. 1. cap. 3. pag. 5. pro ſpecie quadam Margæ habet. Ejusque uſus Fabris Argentariis eſt, ad Vaſa argentea polienda; ſicut Tripolis, (vel Terra Tripolitana) poliendis ex Auro vel Orichalco Vaſis adhibetur.

§. 8. Demùm (V.) illud genus Pigmenti *cum Oſtro Vitruvii convenire,* ſuperiùs dictum eſt: ſed locus expreſsè non habetur unus aliquis; quin Senſus rei eſt per Conſequentiam ſaltem eliciendus, aut ex collatione terminalium *capitis*

pitis 13. cum initialibus *cap. 14. libri 7.* apud *Vitruvium.* Capite XIII. enim ait, è Conchyliis (h. e. Purpuris) Ferramento ſciſſis, *Purpuream Saniem profluentem*, in Mortariis terendo comparari, & *Oſtrum* appellari: ſed Cretæ ibi nullam mentionem adjicit. Et cap. 14. ait, fieri etiam purpureos Colores, *infectâ Cretâ, Rubiæ radice*, h. e. ſucco purpureo, qui ex radice Rubiæ elicitur. Ideòque ſi Purpurei Colores ETIAM fiunt, injectâ in Rubiæ Succum Cretâ; facti utique etiam fuerint tantò magis, injectâ eâdem in Purpuram ferveſcentem, ut *Oſtrum Vitruvio dictum* exin prodierit.

§. 9. Quod Oſtrum jam, ſive *Purpuriſſum*, an *Purpuriſſa*, vel *Purpurina* dicendum ſit, Grammaticis bella non movebo; nec puto, his terminis notari diverſa admodùm. Abuſivè tamen *Purpurinæ* præſertim Vocabulum video, ad *Pigmentum* minimè purpuraſcens, & ad *Hoplitas* (Lapidum ſpecies) transferri.

§. 10. (I.) Quâ ratione enim ſive *Alexius*, ſive *Cardanus* (apud *Libavium* lib. 2. Alchem. c. 35. p. 91.) *Colorem Aureum vel flavum*, Picturis Scripturæque aptum, utpote in quo parum, imò nihil Cœrulei, Purpurinam tamen indigitet, non video; niſi id fieri ſit dicendum per magnam Metonymiæ licentiam, quæ Oratoribus quidem linquenda; ſeriò ſcribentibus non item.

§. 11. Verba *Alexii*, qui (intendendæ *Flavedinis* ergò) Crocum etiam commiſcet, non transſcribam. Hunc verò ex *Cardano* Proceſſum affert *Libavius*, dicens: *Plumbo albo foliato, ſelibræ pondere, miſce tantundem Hydrargyri. Poſtea Salis Ammonii & Sulfuris quartas ſingulas. Fiat Maſſa: quam deſtilla Vaſe vitreo. In imo eſt Purpurina, aurei coloris.* Quid manifeſtius, per Prupurinam, in genere, Pigmentum

qua-

qualecunque intelligi. Additque Epicriſin ſuam, in Parentheſi, *Libavius: (Phlegma educendum eſt: &, ſi non reſpondeat Colore, refunde id, macera, & iterum abſtrahe.)* Liquorem verò, in quo materia macerari debeat, non addens, Lixivium fortè vel urinam, ex præmiſſo à ſe *Alexii* Proceſſu, intelligit. Eundemque *Cardani* Proceſſum *Aldrovandus* etiam (lib. 1. Muſ. Metall. cap. 8. pag. 185.) exhibet, & uſum illius docet: *Hanc* (Purpurinam) inquiens, *non ſolùm Pictores, ſed etiam Sculptores adhibent, dum Statuas ex Gypſo formatas, Metallicas fingunt. Nam colore viridi tinctæ, & Purpurinâ inſperſæ, ex Metallo conflatæ eſſe videntur.* Et hunc Fulgorem Metallicum vocari *Bronzinum*, idem *Aldrovandus* Lib. d. cap. 10. pag. 205. admonet, dum ſcribit: *Purpurina, Coloris ſpecies, ex Stanno, Sulfure, & Argento vivo conficitur, quâ Opifices Colorem, quem Bronzium vocant, Statuis conciliant.* Sed omnium maximè ipſa *Cardani* verba, quæ exſtant lib. 5. de Subtil. pag. 307. in medium producamus: *Purpurina Coloris eſt fulvi, Aurumq; imitatur, ſi optima fuerit: hoc ſolo differt, quod non reſiſtit injuriis cœli, nec diuturna admodum eſt. Conſtat autem ex plumbi albi, argentiq; vivi, paribus portionibus: ſalis rurſus Ammoniaci & Sulphuris paribus iterum inter ſe portionibus, ſed quæ ſint priorum ſextantes, aut quadrantes. Sal & Sulphur ſubtiliter teruntur, plumbum album & Argentum vivum miſcentur: nam plumbum in tenuisſima folia redactum eſſe oportet: miſcentur omnia in vitreo vaſe; deſtillatoq;: & quod in imo remanſerit, Purpurina vocatur.*

§. 12. Ac *abuſivè* dein (II.) etiam *Purpurinæ* nomen gerunt *Hoplitæ*, vel *lapides*, *Armaturâ* (h. e. Cruſtâ) metallicâ forinſecùs *muniti*, Auri, Æris, Orichalci, aut Ferri ſpeciem feren-

ferente, ob ſublimata in Subterraneis Metallorum Ramenta, compacta in ſuperficie quorundam lapidum: quo cenſu præcipuè ſtant Teſtacea varii generis petrefacta; Lyncurii, Lapis Sciſſilis, Cornu Ammonis, & alia. Ita enim idem, quem antè laudavi, *Aldrovandus*, lib. 4 Muſ. Met. cap. 15. pag. 626: *Lapis*, inquit, *quidam, nomine Armaturæ fuit nobis communicatus, quem vulgus Purpurinam cognominat, cum neque Colorem purpureum, neque Amethyſtinum præ ſe ferat: ſed potiùs Colorem Orichalci imitatur. Suâ naturâ friabilis eſt, ejusq; pulvis chartis & aliis rebus adeò adhæret, ut immobilis eſſe videatur. Quapropter ratione hujus Coloris Chryſolithum arenarium quis appellare poſſet. Uſus illius non eſt, ut quidquam inauret; ſed ut Aurum ſuo Colore, vel potiùs Orichalcum ſimulet.*

ANNOTATIO IX.

Ad Cap. I. §. 27.

De Teſtâ ac Muricibus Purpuræ: & Operculo ejusdem.

Breviarium.

§. 1. *Partes* Purpuræ *duplices;*

§. 2. Continentes, *duræ;*

§. 3. *Teſtæ Magnitudo quæ? (Juglandes, cur Regiæ Nuces dictæ?)*

§. 4. *Ejusdem Figura* (Oſtracologiæ *totius Sciagraphia correctior.*)

§. 5. *Superficies item, foris aſpera, intùs glabra:*

§. 6. *Color externus & internus qualis?*

§. 7. *Color externus Teſtæ, cum Colore Cruſtæ ſuperinductæ non confundendus. (Cruſtæ ablatio artificioſa.)*

§. 8.

§. 8. *Durities Purpuræ.*
§. 9. *Teſtæ ulterior diſtributio in Partes.*
§. 10. *Teſtæ Voluta, Spira, Helix, Volumen, Circuitus.*
§. 11. *Apex Volutæ, vel Turbinis extremum.*
§. 12. *Murices, vel acuti Proceſſus, quales?*
§. 13. *eorumque Sitûs ratio.*
§. 14. *Trochéli in Muricibus, Collo, Malo nautico, Catapultâ.*
§. 15. *Rugæ externæ, Annorum indices:*
§. 16. *Limbus, Orificium, vel Apertura:*
§. 17. *Roſtrum breve aut canaliculatum:*
§. 18. *Teſtulæ, ac Fila.*
§. 19. *Operculum Blatta Byzantina, Unguis Odoratus:*
§. 20. *Teſtæq; ejusdem Uſus Phyſico-Medicus.*

§. 1. AD diſtinctiorem magis magisque cognitionem *Purpuræ* delabimur, ſequendo *Autorem noſtrum, Columnam*; qui Capitis præſentis paragrapho 27. nonnulla de Animalis iſtius *Teſtâ*, hujusque *Muricibus* conſideranda exhibet, & anſam hoc ipſo dat, illam quaſi in *Partes* diſſecandi: quas more, ab Anatomicis transſumto, in Continentes duras, & Contentas molliores fluidioresque distinguimus. Etſi enim non tanta in Partibus Teſtaceorum, quanta Terreſtrium, ac Natatilium etiam quorundam, majore apparatu præditorum, occurrat diverſitas: habent tamen ſtructuram & numerum organorum, ſibi competentibus functionibus convenientem.

§. 2. Atque ſic *Continentium* titulo ſtant hæc duo, Primarium unum, *Teſta*; ſecundarium, nec perenne, alterum, *Operculum*.

§. 3. De *Magnitudine Teſtæ* ſic loquitur *Columna*, §. 27. *Teſta parva, Regiæ Nucis, carnoſo adhuc tegmine obductæ, magnitudine: quanquam & quadruplo majores habeamus, & maxi-*

mas aſperiores. Perq; *Nuces Regias, vel baſilicas, Juglandes* intelligit, quas ideò Regias vocari *Otho Brunfelſius* Autor eſt, (*Tom. 3. Herbarii*) quod eam Reges ex Perſide, Provinciis aliis intulerint plantandam. Utque magnitudine, craſſitieque, ſic conſequenter etiam *Pondere*, Purpurarum Teſtas variare, in proclivi eſt.

§. 4. *Figuram Ventrioſam*, Turbinatis plerisque communem, ipſe quoque, ut ex contextu patet, *Columna* Purpuræ ſuæ tribuit: & Nominis iſtius quæ ſit ratio, quæ Teſtacea *Ventrioſa* ſint, quæ minùs; quæ propria maximè *Purpurarũ* in *Oſtracologiâ* ſedes, & quâ Methodo tota doctrina jam dicta disponenda accuratius tandem mihi videatur, poſt deprehenſos manifeſtisſimos, maximorum etiam Zoologorum, defectus ac lapſus, non tàm ex ruditate ullâ, quàm animi confuſione quadam, inter ineffabiles penè Teſtaceorum Varietates, ortos; age, ocioſi cujusdam laboris fructum Lectori tribuam, & quæ meâ de diſtribuendis ritè Teſtaceis ſit mens, poſt tot eorum, toties totiesque mutatas ac permutatas, atq; iterum correctas, iterumque renovatas Teſtaceorum, ad judicium Viſûs Tactusque reſtrictorum, Coordinationes, ingenuè proponam, in *Tabulâ* Univerſali *Oſtracologicâ*; per meras Dichotomias, (manifeſtò poſitas, aut facilè eliciendas) incedens â Generibus duobus ſummis, ad ſubdiviſionum ſubdiviſiones continuas, ſine interruptû doctrinæ liquidò ſibi cohærentes. Quam *Tabulam Oſtracologicæ totius Doctrinæ* unicam; apparenter ſaltem, & chartæ anguſtioris ergò in plures diſtinctam, ſed reverâ ac indiſſolubiliter ad ſe mutuò ſpectantes, tanquam membra totidem ejusdem Corporis, *Benevolus Lector* in fine Opuſculi hujus inveniet, multò uberiùs proponendas in peculiari Volumine, ſive à me, ſive ab aliis ſcriben-

ſcribendo. In quo duo hæc, ad emendationem confuſim traditæ à tot ſeculis doctrinæ, hæc duo ſimul, ni fallor, curæ habenda utiliter venient: *primùm*, ut Specierum quarumcunque exempla, ſub titularibus etiam Synonymorum claſſibus incedant eo modo, atque *Bauhinus* in Pinace ſuo ſcripſit de Stirpibus: *deinde*, ut ordine retrogrado à ſingularibus ad ſpecialia, atque ab his ad generaliora magis magisque, velut per gradus adſcendendo, conſilium ineatur, formandi *Regulas aliquas univerſales characteriſticas*, quarum ductu, ſine ulteriore Vivæ vocis, aut Scriptorum uſu, aliquis, collatâ cum Regulis, ſolâ Teſtacei alicujus figurâ, ſponte judicare valeat, an Turbo aliquid ſit, vel Nautilus, vel Nerite, vel Cochlea, vel Oſtrea, vel Pecten. Glaciem ac Ovum cum Columbo fregi. Nunc gloriosè feliciterq; alii provehi poterunt cum vel ſine etiam laude mei.

§. 5. Ad *Superficiem* interim Purpurarum quod attinet, præterquam quod Volutarum ambitus unis ac alteris Rugis, à Vertice vel Acumine ſtricto rectà deorſum tendentibus, & Striis, compactim obliquèque latis, *extrinſecus* exasperantur; brevibus inſuper & craſſis omnes horrent Tuberculis, imo acutis haut paucæ, utcunque elatioribus, firmisque *Muricibus*, ex Rugarum limbo ſurgentibus, præcipuè majores: *Internè* verò glabra politaque omnia, ut Animal ſine offendiculo, ultrò citròque ſub Teſtâ feratur. Quæ clariùs ſic proponit *Columna*, §. 33: *Intus lævis eſt, Vitri modo ſplendens, colore obſoletè purpureo, vel cœruleo, aut flavicante, obliquè percurrentibus purpuro-nigris maculis, ex Oris margine, in internâ ventrioſa parte.*

§. 6. *Color* foris nunc candicans, nunc flavicans, aut cineraſcens. Aliquæ etiam lineis Maculisque longis, latis,

& veluti faſciatis, purpuraſcentibus variegatæ, (ſi præſertim Soli obverſæ conſpiciantur) & pictæ veluti, eæque elegantisſimæ, videntur. *Beslerus* in Gazophylacio ſuo unam nigro flavoque Colore diſtinctam habet. Interiùs Colore nunc violaceo, nunc albicante, nunc rubro, aut albo, in purpureum vergente, ſplendent.

§. 7. Sed de *Colore iſto exteriore* notandum, ad ordinandas ſive Purpurarum, ſive Teſtaceorum aliorum quorumvis differentias, quæ à Colore deſumuntur, non ruditer aut confidenter nimis primo ſtatim intuitu, de ſpecie aliquâ ſuperficiei externæ judicandum eſſe; cum ſæpe Color ille, qui Conchylio alicui attribuitur, eidem ſit minimè proprius, & potiùs ad Cruſtam Limi marini circumductam pertineat: quæ vel raſione, vel maceratione, vel irrigatione, vel immerſione in liquoribus acidis, cuivis Teſtarum (crasſiorum, tenuiorumvè) ſpeciei convenientibus, vel blandâ cautâque Aquarum fortium adſperſione, & edulcoratione iterum, artificiosè tollitur, ut genuinus tum demum & glaber ac nitens, atque à Corticis anteà impacti colore perquamdiverſus Color, pulcerrimè ſe oſtentet.

§. 8. *Durities* exquiſita, pro more Teſtaceorum omnium, præſertim crasſiorum: quorum Teſtas proin Oſtrea, ab ὀςτῷ vel Oſſe, *(quia Osſium ſit duritie Marina Concha)* dici jam ſuperiùs Columna (d. Purp. c. 1. §. 7.) dixerat; *ſicut à Teſtarum duritie, Teſtas.* Imò una ex Purpurarum majorum Teſtis mihi eſt, cinerea, firmisque muricibus armata, olim empta Venetiis, conſiſtentiæ adeò ſolidæ, ut ego, (& omnes alii primo ſtatim intuitu) ambigam, an ad Teſtas Marinas ampliùs, vel Lapides potiùs ſit referenda?

§. 9. Ac porrò ne quid intactum linquamus, quæ ullo modo ad deſcriptionem *Purpurarum*, quàm fieri poteſt, pleniſſimam faciant; ecce *Teſtæ* earum hucusque deſcriptæ, tanquam Partis alterutrius ſummariæ, cum mole reliquâ molliore, totam Purpuram conſtituentis, ſeorſim nunc etiam *portiones* minores, ipſam conſtituentes, producamus, quarum aliquas (& quidem plerasque,) ſpontè vel ultro conſpici, *Volutas* nempe, earumque *Apicem* extremum; *Murices*, Muricumque *Trachélum*, *Tubercula*, *Rugas*, *Limbum*, *Roſtrum*, aut *Tubulum*; aliquas non ſine labore aliquo, ingeniovè humano erui, ut *Teſtulas*, *Fila*; notare convenit.

§. 10. *Volutæ* vox accipitur nunc *in modum Totius* Teſtæ, turbinatim in Spiram actæ, ad differentiam Univalvium, Conchâ ſimpliciter-arcuatâ, & in ſe haud-æquè reduplicatâ, incedentium; nunc *in modum Partis*, vel Revolutionum Spiræ particularium, cujus ductus videlicet, quoties in Orbem redeunt, toties iidem, tanquam diſtincti annuli aut circuli esſent, (ad notandam ſaltem Sitûs earum differentiam) numerantur, etiamſi (ſicut Inteſtina quoque in Animalibus aliis) ſint partes continuæ unius ejusdemque, Ductûs, & ſede tantùm *Revolutionum, ut* dixi, diſcrepent. Quo poſteriore ſenſu Vocem *Volutæ* inpræſens accipio, ad Spiram Teſtæ in Purpuris notandam, quæ ſcilicet non ſemel aut bis, ſed vel quater, quinquies, & ampliùs, reduplicetur. Vocantur *Volutæ*, à Revolvendo; Græcè *Helices*, vel *Spiræ*, quales vulgò in terreſtribus Cochleis, tum & inter Artis opera, in Prælis & Torcularibus conſpiciuntur, inque Teſtaceorum genere, univerſalem *Turbinatorum* characterem ſuppeditant, illaque ab injuriis externis protegunt. *Volumina* item, *Turbines*, aut *Circuitus*. Cujusmodi *Volutarum* aliæ planiores ſunt, aliæ e-

latiores: aliæ angulares ſupernè, aliæ rotundiores, & inſtar Funiculi, reflexæ. In Purpuris planiores utique potiùs videntur, quàm turgidæ.

§. 11. Per *Apicem* verò *Volutæ* intelligitur Turbinatæ Spiræ Extremitas, in ſtricturâ Teſtæ illâ, quæ Orificio ejus directè opponitur, conſpicua, intercedente, intra Teſtam, Columellâ, tanquam Axe, vel Columnâ aut Scapo, à quo, tanquam gradus in Scalâ cochlide, tota Teſtæ circumgyratio firmatur.

§. 12. *Muricum* appellationem ab Æquivocationibus ſuis jam ſuprà (*Annot. VII.*) liberavimus. Hîcque intelliguntur per illos eadem, quæ ibidem (§. 2.) ſunt dicta: appoſiti nempe hinc inde, in externâ Teſtæ facie, acuminati oblongi Proceſſus, utplurimùm verò non tam integri aut valdè longi, quam Conicè magis ſe habentes, breves, triangulares, & quædam quaſi ſegmenta conorum, in ſectionis latere criſpata pereleganter, præſertim in Purpuris majoribus.

§. 13. Nec non de *Serie illorum aut Coordinationibus* præterea hoc notandum; quod Situs eorum non tam transverſim, per latitudinem Teſtæ, ſequatur ductum ſpiralem Turbinis, aut ſupremum Spiræ ambitum exaſperet; quàm juxta longitudinem ejusdem, à ſummo apice, ad imum, vel limbos Orificii, emergat, & partem ejus alterutram muniat.

§. 14. Et quemadmodum modo-dictæ acutæ, in Purpurarum Teſtis, externæ Prominentiæ, totæ vocantur Murices: ita, quod in Muricibus iſtis ſummè acutum & extremum eſt, videtur peculiarem quoque ſortitum eſſe titulum, ut *Trachalus*, vel *Trachelus*, ex Græco, τράχηλος, vocetur: nam τραχύς, *aſperum* vel *ſcabrum* denotat; unde τραχύτης, *Aſpe-*


Aſperitas, Villoſæ Pannorum rudiorum eminentiæ, & alia: Τϱάχωμα, interior *Palpebrarum Scabrities;* & hoc ipſum *Trachélus;* quod ob aſperitatem, de quâ nomen accepit, pluribus ſcabris & aſperis rebus aliis itidem tribuitur: nempe *Collo Animalium,* ſpinoſis Vertebrarum Proceſſibus firmato; vel *Parti Mali Nautici* aut Veli Navalis, cum ſuperior dicatur Carcheſium, inferior Pterna, ut ex Aſclepiade nos docet *Schefferus*, lib. 2. de Milit. Nav. cap. 5. pag. 144. vel *Parti Catapultæ,* ſuffragante *Bernardino Baldo,* d. Verborum Vitruv. Signif. Indeque in Botanicam traducta Vox *Trachelii*, vel Cervicariæ, quòd in Cervicis vel Colli (Τϱάχηλος dicti) affectibus hæc herba opem ferat.

§. 15. *Rugæ*, in convexo Purpuræ, à ſummo ejus, ad Roſtratas Orificii anguſtias tendentes, eæque non ſuperficiales aut humiles, ſed conſpicuæ ſatis, & prominulæ, denſiusque compactæ, quàm pro more reliquorum Rugoſorum Turbinum, ab *Autore* non paucæ, in effigie monſtrantur. Perque eas non inſulsè Ætas illarum æſtimabilis eſt, quoniam oriuntur cumprimis ex eo, quod Purpuræ, dum Teſtâ ſuâ quotannis rurſus egrediuntur, novas uberioresque partes Salivalis Lentoris, Limbo vel Orificio Domicilii ſui agglutinant; unde inæqualitas aliqua, formâ Rugæ, in longitudinalibus Volutæ portionibus emergit, ut aliquantò inferiùs iterum dicetur.

§. 16. *Limbus* verò *vel Orificiũ* Purpuræ, eſt Teſtæ Ejus ampla & concava illa ora, quâ Venter illius antrorſum terminatur; & intra quam Purpuræ vegetior Moles reliqua, h. e. Carnea, magnam ſui partem, ultrò citròque fertur: rotunda fere, niſi quod in Roſtrum utcunq; productum conſtringatur; in uno etiam ſuo latere Muricibus armata, ut jam antè (§. 13.) innuimus.

§. 17.

§. 17. Id *Roſtrum* (à rodendo dictum) in aliquibus Purpuris, præſertim grandioribus, eſt longum ſatis, & rectum, tubuli modo ſemiaperti relicti, vel tenui etiã ac durâ laminâ ſuperinductâ tecti, ſpiniſque in uno limbo exaſperatum, vel iiſdem etiam carens, ac nudum: in aliis contrà, ut in præſenti *Columnianá*, brevius, & duplicis potiùs productionis re-



pandæ mediocris, quàm ſimplicis, rectâ emiſſi, canalis conditionem ferens: quales productiones repandas breviores quoque in Purpuris multis Venetis obſervavi. *Columna*, de ſuâ, ita ait, cap. 1. §. 28. *Brevi admodùm Tubulo vel Canali, Oris pars ſuperior definitur, ut in Buccino.*

§. 18. *De Teſtulis* verò *&* *Filis* Teſtaceorum, (atque ſic *Purpuræ*) ante acutiſſimum *Nic. Stenonem*, (*in Prodromo Diſſert.*

de

de Solido intra Solid:) nemo quicqũam, quod norim, ſcripſit. Et per ea quid intelligatur, quæque de iis ſint dicti *Autoris* Obſervationes ſelectiores ac Hypotheſes, directè hîc quidem monendum eſſet: Sed novum iſtud elegantis Doctrinæ Specimen peculiarem Titulum meretur; & ad finem properat præſens Annotatio. Quapropter hac abſolutâ, additisque tantisper, quæ hîc loci de *Purpuræ Operculo Uſuque* reſtant dicenda adhuc, ſequentis Annotationis vicem *Stenoniana* illa in medium diſtinctim prolaturus ſum; poteritque ea, qui vult, pro lubitu, Purpuræ Teſtis applicare.

§. 19. *Operculum Purpuræ* his verbis deſcribit ipſe *Columna*, cap. præſentis §. 33: *Operculum habet rugoſum, tenue, fuſcum, animalis capiti annexum & innatum, incrementum accipiens cum ipſo Animali. Nota eſt: Rugoſa ſuperficies orbiculatim.* Eſt videlicet id commune Turbinatis univerſim omnibus, ut quemadmodùm Cochleæ Terreſtres edules per Hyemem in Teſtâ ſuâ quietim latent, occluſæ anteriùs etiam Cruſtâ durâ, ex Salivali illorum Lentore, & Sordibus Terræ natâ, ductâque transverſim per Orificium Teſtæ, ab omni Limbi latere, vel paulò intimiùs ſub eo: ſic Teſtacea Turbinata reliqua, & inter illa, Purpuræ, ſub *Operculo* aliquo, ab *Autore* modò deſcripto, per Hyemem lateant, conſtante Fibris viſcoſo-terreſtri-pinguibus, ſpiraliter concretis, & planioribus, in ſuperficie averſâ vel interiore, Carnem reſpiciente, exteriùs verò quodammodo protuberante, ut præcipuè in *Umbilicis Marinis* videmus, qui vulgò pro Lapillis, Hæmorrhagiæ narium ſiſtendæ aptis, habentur: ſed nihil aliud ſunt, quàm Teſtacei alicujus exotici, in Orificium ovale patentis, *Opercula:* ab uſu, claudentis Oſtioli, ſic dicta, Græcè Καλύμματα, vel Ἐπικαλύμματα *Ariſtoteli* ab Ἐπικαλύπτω,

k Ope-

Operio. Et in ſpecie *Operculum Purpuræ,* videtur ratione figuræ concavæ, *Cavum* dici. Communiter verò imprimis Operculum ſive Purpuræ, ſive Teſtacei Exotici cujusvis alterius pro *Blattâ Byzantinâ,* Officinis dictâ, habetur; quæ Græcè βλάττος βυζαντος, non aliâ causâ dici putatur à *Leonh. Fuchſio* (lib. 1. de Comp. Med. c. 15. pag. 72.) quàm quod Purpura Indica βλάττιον vocetur Græcis Recentioribus; unde à Latinis etiam *Blattius Color* pro Purpureo poſitus, reperiatur. Et quoniam *Blatta* iſthæc, (rectiùs forſan *Blattus* dicenda) dum uritur, ingrati Odoris eſſe, Caſtoreumque redolere ſcribitur, & ratione nidoris ejus externè ad ſuffitus, Hyſtericis Comitialibusque excitandis utiles, à *Schrödero* (lib. 5. Pharm.) laudatur; *Unguis Odoratus* verò, Officinis dictus, ſuavem odorem ſpiret; ex eo *Fuchſius,* (l. d.) & poſtmodùm *Jonſtonus* (de Aquatil. tit. de Purp.) colligunt, Blattam cum Ungue haud eſſe confundendam. Quod genus Operculi, *Græcè* ὄνυξ vocatur, quia Carnoſæ parti anteriori Teſtacei Animalis adhæret, ut Ungues noſtris digitis *Odoratus* autem, quod in Texturæ ſuæ diverticulis aliquid alat pinguidi, prunis injecti, Fumum olidum fundentis, & accedentis utcunq; ad Nardi halitum. In Indiæ enim Nardiferis Lacubus Conchylia, Nardo paſci, ibique inventa, & cremata dein, Nardum ſpirare, ex *Dioſcoride* creditur: quod verò *Purpuram & Buccinum haut facere, Columna* noſter (de Purp. c. 1. §. 15.) refert, & ſic *Ipſe* etiam, *Blattium Byzantinum,* cum *Ungue Odorato,* confundendum non eſſe, tacitè quaſi innuit. Germanicè vocari videtur Nagel-Schneck: ſed paulò convenientiùs fortè der Deck-Nagel von der Purpur-Schneck dicetur.

§. 10.

§. 20. Reſtat hîc, ut *de Uſu Teſtæ Purpurarum* non minùs Phyſico, quàm Medico, paucisſima addamus. Quorum *poſterior* conſiſtit in hoc, quod Dentibus abstergendis, humiditate ſuperfluâ Partium abſorbendâ, & præſertim Ulceribus malignis, ſine roſione ſiccandis, adhibetur, uſta & præparata. Circa *priorem* verò, vel Phyſicum, Dubium oriri posſit; an videlicet factæ Purpurarum Teſtæ ideò ſint, ad cavendum, *ne Caro contenta diffluat*. Sed Caro earum adeò tenera, lubrica, &, medullæ inſtar, disſipabilis non eſt, ut periculum id ex eâ ſit timendum. Et quis Urticarum Marinarum Carnoſæ Texturæ multò teneriori, imò tremulæ (ad modum Gelatinæ) Teſtas circumpoſuit, quæ tamen non diffluunt, niſi vulneratæ? Aut fortè *ſervandi caloris ergò?* ut video *Jonſtonum* (de Teſtaceis, tit. 1. pag. 36. b.) in genere de Teſtis opinari; unde eas *Furnulum* quaſi vocat, quo Calor ex-Sanguium leviuſculus conſervetur. Id quod Veritati puto multò potiùs eſſe conſentaneum: neque uſus hic, alterum Teſtæ uſum, æquè notabilem, excludit; defendere nempe Animal ab injuriis externis.

ANNOTATIO X.

Ad ejusdem Cap. I. §. 27. & 28.

De Striis, Teſtulis, ac Fibris, ad Teſtam Purpuræ pertinentibus.

Breviarium.

§. 1. Striarum *Deſcriptio in præcedentibus omiſſa:*
§. 2. *jamq; translata huc.*
§. 3. *Earum Differentiæ.*

§. 4. *Eminentiores Striæ, Rhabdi dictæ.*
§. 5. *Striarum ulterior Differentia.*
§. 6. *Striæ Purpurarum quales?*
§. 7. Nic. Stenonis, *de Teſtaceorum* Filis *ac* Teſtulis *doctrina,*
§. 8. *in Teſtaceis Maris ac Montium occupata:*
§. 9. *ac utrobivis quid in genere notandum?*
§. 10. *Modus quo Teſtæ, earumq; Fila ac Teſtulæ producantur.*
§. 11. *Colorum & Aculeorum Varietas in Teſtis, unde?*
§. 12. *Margaritarum productio:*
§. 13. *earumq; Fila, intùs conſpecta.*
§. 14. *De Margaritis tùm inæqualibus, tùm flaveſcentibus, judicium.*
§. 15. *Quæ Margaritæ artificio fingi poſſint, aut non?*
§. 16. *Teſtæ, Terris obrutæ, in Fluido quondam exſtiterunt.*
§. 17. *Materiæ, Intra Conchas contentæ,*
§. 18. *& Externæ, conſideratio.*
§. 19. *Teſtæ, in Terris vel Petrefactæ, vel calcinatæ.*
§. 20. *Teſtaceis ſimiles lapides varii.*
§. 21. *Modus productionis eorundem.*
§. 22. *Obſervationes ſelectæ, circa Concham Margaritiferam, & Pinnam:*
§. 23. *circa Foramina Conchyliorum lapideorum:*
§. 24. *Cauſamq; illorum:*
§. 25. *& circa* Teſtam *lapideam, Balanis tectam: Ova teſtaceorum minima: Teſtaceaq; Cryſtallina; &c.*

§. 1. IN Præcedentis Annotationis §. 9. & ſeq: *Striarum* non minùs, quàm reliquarum Teſtæ Partium, mentionem injicere volui: ſed toties totiesque, ut fieri ſolet, à ſcriptione turbatum, hæc curæ pars me præteriit iterum: ſatiùsq; ob id duxi, à notabili iſtâ differentiâ exordiri hìc, quàm omni prorſus Silentio eam præterire.

§. 2. *In genere* itaque *Striæ in Teſtis* vocantur virgatæ in

in earum convexo Eminentiæ, & portiunculæ exſtantes, anguſtæ quidem aut ſtrictæ, ſed tantò longiores; quibus Teſta aliqua tùm à Teſtis aliis, glabris, tùm inter aſperas etiam vel minùs glabras, à tuberoſis aut verrucoſis, rugoſis, ac muricatis, aculeatisvè distinguitur.

§. 3. *In ſpecie*, ratione Dimenſionum ſuarum ac Figuræ, diſpeſcere eas ſoleo, in breves & longas; in integras, & abruptas; in ſtrictas, (vel lineolis tenerrimis ſimiles) & latiores; in *eminentes*, & compresſiores, (humilioresve); in glabras (vel læves) & asperiores: vel ratione Qualitatis, in unicolores, ac diverſicolores: vel ratione Numeri, in ſimplices (vel uniformes,) & mixtas, ſibique reticulatim implexas.

§. 4. Ex quibus ad *Exochas*, vel *Eminentiores* iſtas quod attinet, ulteriùs illas divido in ſolidas, (vel nihil Cavi inter convexum proprium, & Teſtæ totius Concavum, habentes) & fiſtuloſas, vel longo ductu excavatas: quibus imprimis τῦ ῥάβδου (*Rhabdi*) nomen convenit, h.e. Virgæ, Lineæ, aut Striæ maximè eminentis. Unde ῥαβδωτός, virgatus; prout *Autor* noſter (d. Purp. cap. 17. §. 3.) *Concham* ſuam Exoticam mucronatam eò, quod *Striis Eminentibus*, in mucrones exeuntibus, armatur, perquam aptè μαχαιρορραβδώτην vocari poſſe ait.

§. 5. Et denique ratione Ordinis aut Situs, easdem in *Rectas* distribuo, juxta longitudinem Teſtæ, quæ ab apice ejus ad orificium ſupputatur, procedentes; *Tranverſas*, vel ductum Spiræ ſequentes, ut Helices tot conſtituendæ extrinſecus videantur aut ſint, quot Striæ: & *Obliquas*, ac velut diagonales.

§. 6. Ex cujusmodi dictis Stiarum Differentiis *Columna* (cap. I. §. 28.) in deſcribendâ *Purpuræ Teſtâ*, duas præſertim conjungit, & conſpirante ipsâ paſſim experientiâ, ita de iis ait: *Ab his* (Prominentiis Canaliculatis) *dependent tuberoſæ atque parum muricatæ Striæ, Teſtam per longum exaſperantes.*

§. 7. Deinde, in Annotationis prægreſſæ §. 18. non tam oblitus ſum, *Stenonianam de Teſtulis ac Filis Teſtarum* (ex Ejus Prodromo Diſſertationis de Solido intra Solidum) doctrinam, Contemplatu dignisſimam, in gratiam Purpuræ, apponere ibi; quàm conſultò ac ſpecialiter negocium id huc transſcripſi, ne ſcilicet interjectu ejus, tanquam rei, obiter quaſi incidentis, interrumperetur Contextus Rerum ibi propoſitus, ullivè Lectorum anſa ad nauſeam tantò exſtantior daretur.

§. 8. Hæc itaque ſunt Incomparabilis *Stenonis* verba: *Inter Solida, Solido naturaliter incluſa, nullum nec frequentius occurrit, nec magis dubium eſt, quàm Teſtæ Conchyliorum. Quocirca aliquantò fuſiùs de illis diſſeram, conſiderando primò Teſtas è Mari deſumtas; inde illas, quæ é Montibus eruuntur.*

§. 9. *Omnis generis Teſtæ, quæ Animal ſibi quondam incluſum habuêre, Senſibus noſtris ſequentia exhibent: (1.) Ipſas Teſtas integras reſolvi in Teſtulas; Teſtulas verò reſolvi in Fila: eaque Fila ad duo genera reduci, Colore, Subſtantiâ, & loco à ſe invicem differentia. (2.) In Teſtulis Superficiem ſuperiorem inferioremque nil eſſe, niſi Filorum Extrema; ſuperficiem verò Limbi eſſe Latera eorundem Filorum, in Limbo Teſtulæ ſitorum. (3.) in ipſâ Teſtâ Superficiem interiorem eſſe eandem cum Superficie interiore intimæ ſeu maximæ Teſtulæ: Superficiem verò exterio-*

teriorem compoſitam eſſe ex ſuperficie exteriori minimæ teſtulæ, & ſuperficie omnium limborum, intermediarum Teſtularum.

§. 10. *Circa Modum, quo Teſtæ in Animalibus producuntur, ſequentia evidenter demonſtrari poterunt:* (1.) *Materiam Filorum Sudori Animalium in eo ſimilem eſſe, quod ſit humor per ſuperficiem exteriorem Animalis excretus;* (2.) *Filorum figuram duobus modis produci poſſe; vel in ipſis Animalis Poris, per quos excernuntur; vel, dum creſcentis Animalis ſuperficies major facta, ſuperficie, jam pridem concretæ teſtulæ; ab eadem recedit, adeoq; glutinoſum humorem intra utramque ſuperficiem contentum, partim in Fila ducit (id quod humoribus viscoſis familiare eſt) partim novi humoris excretione adauget, quod nulla alia materia intra dictas duas ſuperficies penetrare poſſit.* (3.) *Diverſitatem Filorum dependere à Pororum diverſitate, quibus Animalis ſuperficies perforata eſt; & à diverſitate materiæ, quæ per eosdem poros excernitur. Habent enim id generis Animalia geminam ſubſtantiam in ſuperficie, quarum altera durior eſt, mollior altera; utraque fibroſa; cujus accuratior indago non parum lucis affert Oſſium examini:* (4.) *Teſtulas omnes, ſi extimam, ſeu minimam exceperis, productas eſſe inter teſtam exteriorem, & ipſum Animalis corpus; adeoque non à ſe ipſis, ſed à loco figuras accepiſſe: quo fit, ut motus Animalis, & materiæ quantitas, aliquam in figurâ varietatem ſæpius in Oſtreis producat. De extimâ teſtulâ dubitari poterit, an ſuperficiem exteriorem ambiens Fluidum tetigerit, an vero membranâ quâdam tecta fuerit; crediderim tamen, ultimam opinionem ſolam locum habere;* (1.) *quod omnium reliquarum Teſtularum Fila, quo tempore concreverunt, à fluido ambiente intacta fuerint.* (2.) *Quod in Chamis hirſutis videamus, membranæ vel corio ſimile*

mile quid teſtas extrinſecus veſtire. Sed de re tantumnon inſenſibili quæſtio eſt: & dici poterit, intra Ovum jam tum induruiſſe primæ Teſtulæ Fila, quandoquidem experientiâ conſtet, Oſtrea, & alia Teſtacea, ex Ovis, non ex putredine naſci.

§. 11. *Ex dictis facilè explicatur* (1.) *Omnis illa Varietas Colorum, & Aculeorum, quæ in teſtis, tum noſtratibus, tum peregrinis, admirationem multorum meretur; cum aliunde non procedat, quàm ex limbo Animalis, teſtâ incluſi. Etenim hic limbus, dum ex parvulo ſenſim creſcit, & dilatatur, in ſingulis Teſtularum oris, ſui imaginem relinquit; quandoquidem dictæ oræ vel creſcant ex humore, qui ex limbo Animalis exſudat; vel ſint ipſi limbi Animalis, qui ut in Canibus Marinis dentes, de novo forſitan ſuccreſcunt in prioris limbi locum, & eorundem Dentium inſtar, versùs exteriora ſenſim evolvuntur.*

§. 12. (2.) *Margaritarum productio; tum earum, quæ teſtis adhærentes, figurâ non usque adeò rotundâ ſunt, tum earum, quæ obſtructis in ſuperficie Animalis Pororum oſtiis, intra ipſos Poros figuram rotundam adipiſcuntur: namq; inter margaritarum cortices, & concharum margaritiferarum teſtulas id diſcriminis duntaxat intereſt, quod teſtarum Fila in eodem quaſi plano ſita ſunt, Margaritarum verò cortices fila habeant diſpoſita per eandem ſuperficiem Sphæricam.*

§. 13. *Elegans hujus rei exemplum inter alias Margaritas à me diffractas una præbuit, quæ exteriùs candida, interiùs corpus nigrum includebat, ſimile grano Piperis, & quâ colorem, & quâ magnitudinem; in quo Filorum, alterâ extremitate centrum reſpicientium, ſitus evidentiſſimus erat, ordinesq; ſeu ſphæræ eorundem Filorum dignoſci poterant.*

§. 14.

§.14. *Eadem occaſione vidi, (1.) Margaritas variis tuberibus inæquales, nil aliud eſſe, quâm varias parvulas margaritas, iisdem communibus cruſtis incluſas. (2.) Margaritas flaveſcentes multas, non ſolùm in ſuperficie extimâ ſphæræ, ſed in omnibus ſphæris interioribus, flavo colore tinctas eſſe; ut adeòq; dubitare ampliùs non liceat, eſſe colorem illum adſcribendum mutatis humoribus Animalis: & Æthiopem lavare, qui illum eluere ſtudet, niſi vel adſcititius color fuerit, utpote in collo geſtantis eas natus, vel ſola extima ſphæra flava fuerit, utpote ſi Animalis humores non fuerint immutati, quo tempore interiores ſphæræ formabantur.*

§.15. *Unde patet illorum error, qui inconſultâ naturâ Margaritarum, imitationem ex ingenio fingunt, cum vix quisquam feliciter illud aggreſſus fuerit, niſi alter Lucullus Conchis margaritiferis Vivaria repleverit, & vel in ipſis Animalibus modos eas multiplicandi inquiſiverit, vel inde didicerit difficultatem, Naturæ labores imitandi. Non negaverim, poſſe arte confici globulos è variis corticibus compoſitos, ſed eosdem cortices è Filorum ſibi mutuò appoſitorum ſerie ordinare, unde nativus ille margaritarum ſplendor dependet, id verò factu difficillimum judicaverim.*

§.16. *Quæ Teſtæ Terris obrutæ latent, ad tria genera reducuntur. Primum genus earum eſt, quæ modo-deſcriptis adeò ſimiles ſunt, ut ovum Ovo: quandoquidem, ac ipſæ Teſtæ in Teſtulas reſolvantur, & Teſtulæ in Fila, Filorumq; eadem diverſitas, & idem ſitus ſit. Has Teſtas Animalium quondam in Fluido viventium partes exſtitiſſe, etiamſi Teſtacea marina nunquam viſa fuiſſent, ipſius teſtæ conſideratio demonſtrat; & Concharum Bivalvium exemplo patebit.*

§. 17. *Quo tempore formatæ ſunt Conchæ Bivalves, materia intra conchas contenta* (1.) *habuit Superficiem lævem, & poris innumeris pertuſam, duplicemque diverſitatem Pororum:* (2.) *Subſtantiam flexilem, & minùs duram ipſâ teſta:* (3.) *ab unâ parte cum ambiente materiâ communicavit, ab alterâ parte nullum cum eâ habuit commercium:* (4.) *Senſim receſſit à parte illâ, quâ negatum ipſi fuerat commercium cum materiâ externâ verſus illam partem, ubi liberum illi commercium erat cum eadem materiâ:* (5.) *potuit ſeſe per intervalla aperire, pro amplitudine illius anguli, quem Cardines Teſtarum admittunt:* (6.) *ex parvo in magnum crevit:* (7.) *Materiam, unde confectæ Teſtulæ ſunt, per ſui ſubſtantiam transmiſit.*

§. 18. *Materia externa Conchas ambiens* (1.) *ſi non omninò fluida exſtitit, ſaltem minorem vim reſiſtendi habuit, quàm erat vis dilatandi ſe in materiâ, intra Conchas contentâ.* (2.) *Continuit Subſtantiam fluidam, aptam conficiendis inde Teſtularum Filis; quæ omnes Loci tum interni tum externi conditiones, in ipſâ Diſſertatione argumentis & figuris demonſtratæ, ſatis evincunt, intra Conchas Animal, extra Conchas Fluidum exſtitiſſe.*

§. 19. *Secundum genus earum Teſtarum eſt, quæ modò deſcriptis cæterò ſimiles, ſolo colore, & pondere ab illis differunt; dum quædam leviores juſto, aliæ juſto graviores deprehenduntur, quod hæ Poros habeant Succo adſcititio repletos; illarum Pori leviorum partium expulſione ampliati ſint; de quibus nihil ampliùs ſubjungo, quòd nihil ſint, niſi Teſtæ Animalium, vel petrefactæ, vel calcinatæ.*

§. 20. *Tertium genus earum eſt, quæ ſolâ figurâ ſimiles ſunt modò-deſcriptis Teſtis; reliqua in totum ab iis differunt;*

cum

cum nec Teſtulæ ibi, nec Fila, multo minùs Filorum diverſitas obſervetur. Harum aliæ Aëreæ ſunt; aliæ lapideæ, colore, vel nigro vel flavo; aliæ marmoreæ; aliæ cryſtallinæ; aliæ alterius materiæ, quarum omnium productionem ſequenti modo explico.

§. 21. *Ubi Teſtæ ſubſtantiam, ſuccorum penetrandi vis diſſolverit, iidem ſucci, vel terrâ hauſti, reliquerunt Teſtarum ſpatia vacua, (quæ ego teſtas Aëreas appello) vel novâ accedente materiâ alterati, pro ejusdem materiæ varietate eadem Teſtarum ſpatia vel cryſtallis, vel marmore, vel lapide implevére; unde ortum habet Marmoris illa pulcherrima ſpecies, quam Nephiri appellant, quæq; aliud nihil eſt, quàm ſedimentum Maris, omnis generis Teſtis plenum, ubi conſumptâ teſtarum ſubſtantiâ, lapidea ſubſtantia in locum ejus ſucceſſit.*

§. 22. *Non patitur inſtituti mei brevitas, ut afferam omnium illorum deſcriptionem, quæ in ſingulis Teſtarum é Terris erutarum, generibus notatu digna obſervavi: quocirca, miſſis aliis, ſola ſequentia huc referam:* (1.) *Concham margaritiferam in Etruriâ repertam, adhærente ipſi conchæ margaritâ:* (2.) *Pinnæ marinæ majoris partem, ubi conſumptâ Biſſo, color Biſſi remanſit in materiâ illa terreâ, quæ concham repleverat.*

§. 23. (3.) *Oſtreorum miræ magnitudinis teſtæ, in quibus plures cavernæ oblongæ à vermibus exeſæ reperiuntur, illis omninò ſimiles, quas in lapide Anconitano, Neapolitano, & Siculo certum genus concharum inhabitat; quæ Lapidum cavitates niſi ab inſectis, nidos fabricantibus è luto, formatæ fuerint, (quod vix crediderim, cum ipſa medii Saxi Subſtantia, ubi nullæ cavitates reperiuntur, eadem ſit cum ſubſtantiâ cavitatum, quæ omnes circa ſuperficies hærent) à vermibus erunt exeſæ, cum & ſuperficies cavitatis illud ſuadeat, & in multis cavitatibus repertum*

corpus ex Filamentis craſſioribus contextum evincat, quod ipſi cavitati magnitudine, & figurâ reſpondet.

§. 24. *Certè nec à Conchis, nec circa Conchas factæ ſunt, cum organis ad rodendum deſtituantur id generis Teſtacea, nec Teſtacea, nec Teſtarum Figuræ ulla cavitas reſpondeat. Nec mirum eſt, Mari expoſita Saxa, Conchyliorum Ovis à Mari expulſis receptaculum præbere in dictis Cavitatibus, cum earum nullam hactenus viderim manifeſto exitu deſtitutam. Quod ſi quis dixerit, à Succo lapideſcente, circa certa corpora concreto, cavitates illas productas fuiſſe; quædam cavitates eadem materiâ undiq; obductæ absq; oſtio reperiunda fuiſſent.*

§. 25. (4.) *Teſtam interiùs ex parte conſumptam, ubi adeſæ ſubſtantiæ jacturam cruſta Marmorea ſupplevit, variis Balanis tecta; ut adeoq; certò concludere liceat, à Mari relictam in Terris teſtam, ſecundò in Mari deportatam, iterum novo ſedimento obrutam, & à Mari derelictam fuiſſe:* (5.) *Ova minutiſſima, & turbines vix niſi oculis Microſcopio armatis conſpiciendi.* (6.) *Pectines, Turbines & Conchas bivalvas, non cryſtallo tectas, ſed tota ſubſtantiâ cryſtallinas.* (7.) *Vermium marinorum Tubulos varios.* Hucusque ex *Stenone*.

ANNOTATIO XI.

Ad Cap. I. §. 28. 29. & 30.

De Ætate, Nutritione, Motu, & reliquis Actionibus Purpuræ.

Breviarium:

§. 1. *Ratio Inſtituti.*

§. 2. *Ætas Purpuræ ſupputanda ex Volutarum limboſis Extuberantiis potiùs,* §. 3.

§. 3. *quàm numero Orbium aut Revolutionum.*
§. 4. *Purpuræ, an ſeptem tantùm Annos* vivant?
§. 5. *Earum* Nutrimentum; *Res Fœtidæ, Strombi, Oſtreæ, &c. (Et ratio capiendi.)*
§. 6. Alimentum *item ex Balſamo Univerſi, aut Corruptelis Animalium.*
§. 7. *Magnitudo Purpurarum diſcrepans.* Columnæ textus de Purpurâ Majore Pelagiâ, & Murice Magno.
§. 8. *Tranſitus ad* Locum Natalem *earundem:*
§. 9. *Qui vel Communis, Mare limoſum; vel Proprius paſſim, Tincturam ipſarum varians.*
§. 10. *Purpuræ Africanæ, Tyriæq; quales?*
§. 11. *Laconicæ, Tarentinæ, Puteolanæ, Formianæ:*
§. 12. *Venetæ, ac plures aliæ.*
§. 13. *Tempus capiendi eas: & Generationis ipſarum.*
§. 14. In Generatione *tria notanda:*
§. 15. (α) *Materia: an Putrilago, Limus, Saliva?*
§. 16. *Principii Seminalis vera notatio.*
§. 17. *Panſpermia, aut Generale Semen non ſufficit.*
§. 18 (β.) *Modus procreandi per Effuſionem vel Transfuſionem.*
§. 19. *Effluxus Seminis. Seminatio Oſtrearum.*
§. 20. *Transfluxus ejusdem, ope Affrictûs, aut Inoſculationis.*
§. 21. (γ.) *Effectus: Ova, Purpurillæ.*
§. 22. *Ovi acceptio genuina.*
§. 23. *Purpurillæ quomodo efformentur?*
§. 24. *Actiones Purpurarum reliquæ.*
§. 25. *Senſus quinam?*
§. 26. *Et Motus.*

§. 1. POtiſſimum, quod in præſentis Capitis §. 28. 29. & ſeq. pertractandum ſibi proponit *Autor*, eſt, ut edoceat, an & quatenus ex ſolâ Teſtæ inſpectione, detur de *Animalculi Ætate* judicare? Sed quia de Ætate & Vitâ talium Corporum vix licet agere, niſi Nutritionis, Augmentationis, Loci Nata-

lis, & ſimilium, aliqua ſimul injiciatur mentio: age hæc etiam breviter attingamus, addendo de *Actionibus reliquis*, quæ facere ad rem quamproximè videbuntur.

§. 2. Summa primùm dictorum Paragraphorum eſt; A Summo Teſtæ, tuberoſas quasdam, & aliquatenus muricatas Strias, prodire; indeque ſigna Annorum peti poſſe, §. *28.* Easdem cum Orbibus Volutarum non confundendas eſſe; *ibidem.* Atque ſic, in Purpurâ clavatâ quamlibet muricatam Oram, Anni illius incrementum apertè oſtendere, §. *29.* Et hanc Oram (vel hanc Limboſam extuberantiam) intercipere dimidium ferè Orbem ſingularum Volutarum, *ibidem.*

§. 3. *Hujusq; limboſæ majoris Extuberantiæ cauſam eſſe,* quod Purpuræ, quotannis fixæ hærendo Scopulis, *non poſſint marginem oris Teſtæ producere in Orbem; ſed craſſeſcere circa extremum oris oporteat,* §. 30. Et in minoribus Teſtis idem contingere; imò plures interdum Orbium anfractus ibi dari, § 31. Verbo: *Fallacem eſſe Orbium numerum, ad obſervationem Annorum,* §. *32.*

§. 4. In ſpecie verò *Autor* concludit (§. 30.) Purpuras non tam ſeptem, quàm bis ſeptem, & ampliùs, Annos vivere. Addo: & veriſimiliter Nutriri, ſuaque Incrementa magis magisque, capere, ſi præcipuè verſentur in Loco, Naturæ ſuæ convenientiore. Unde promiſſi, paulò antè (§. 1.) dati memores, hæc omnia, & quæ eò pertinent, breviter expendemus.

§. 5. Ad *Nutrimentum Purpurarum* quod attinet, *Plinius* Fœtidis delectari ſcribit. *Oppianus,* citante *Heresbachio* (Thereutic. pag. 817.) *tradit, capi miſſis Strombis piſcibus, aut Oſtreis, in denſos calathos, è Vimine aut Junco complexos, quibus Pur-*

pura

pura Linguam inſerens ad eſcam, mox intumeſcentem retrahere nequit, atque ſic liguritione irretita prehenditur. Alii, Purpuras capi parvulis rarisque veluti Naſſis in alto jactis, eſcâ inditâ cluſilibus & mordacibus Conchis: has femineces, ſed redditas Mari, avido hiatu reviviſcentes appetunt Purpuræ, porrectisque Linguis infeſtant. At illæ aculeo exſtimulatæ, claudunt ſeſe, comprimuntque mordentia. Ita pendentes aviditate ſuâ, Purpuræ tolluntur, Aquâ dulci necantur.

§. 6. *Aqua Marina* utiq; gratum ipſis confert pabulum, ſive ob *Balſamum Univerſi*, partibus ſuperficialibus Globi Terraquei impreſſum; ſive ex *Corruptelis* Piſcium & aliorum *Animalium*, in Mare projectorum, quæ in reſolutione ſui largè à ſe diffundunt, vitalis anteà Succi particulas, unà cum elementaribus aut aliis. Et hanc *Aquam Marinam* proin Purpuræ ingerunt, egeruntque non tàm luſûs, quàm ſuæ commoditatis ergò, ut videlicet parte Alimenti hoc pacto fruantur, & quod ſuperfluum eſt, tempeſtivè egerant. Eâq; hauſtâ, opinio aliquorum eſt, pluribus diebus foveri, & ſuſtentari.

§. 7. Ac ex diverſitate & copiâ Alimenti, diverſâque Duratione vel Tempore, indoleque Locorum, diverſitas *Magnitudinis* quoque pendet. De quâ jam paulò ſuperiùs (Annotatione IX. §. 3.) aliquid dictum eſt. Cui ſequens Caput ex *Columnâ*, ſed alio quodam Ejus Tractatu, (*Obſervation. Aquatilium & Terreſtr.* videlicet) deſumtum, ob Argumenti cognationem, ad ſcribamus, hoc titulo:

CAP. XXXII. *Purpura Major pelagia, exotica, corniculata. Et, de alterâ Marmoreâ, ſive Murice Magno.*

Scabras Ariſtoteles appellavit Purpuras, præſertim pelagias, & Plinius

Plinius clavatas, ob aculeos in orbem diſpoſitos, ſeptenos fere: atque ob id forſan Latini Murices illas, & ſimiles conchas, appellaſſe videntur, quæ ad ſimilitudinem Muricum eſſent aſperæ atque clavatæ. Murex enim Latinis idem quod τρίβολος *Græcis, ob ſimilitudinem Tribuli herbæ, fructus aculeati, ſic appellata; ad cujus ſimilitudinem ferrei tribuli ſive Murices â militibus ad Defenſam haberi ſolent, ut illis ſparſis â ſubitâ hoſtium eruptione in præſidio tuti ſint, ut à Valer. Max. lib. III. refertur. Omnis etiam acuminata durities aliquando Murex dicitur. Virgil. Æneid. 5.*

—— —— & acuto murice remi
Obnoxi crepuere. —— ——

Plinius ſylveſtrium Carduorum capita muricata dixit. Utriq; folia pauca ſpinoſa, muricatis cacuminibus. Quapropter Murices pro purpurâ accepiſſe conjectari licet ex his: nam ab Ariſtotele purpuræ tantùm mentio habetur; & à Latinis Purpura ſive purpureus color, Murex dicitur. Martial.

Sanguine de noſtro tinctas, ingrate lacernas
Induis, & non hoc eſt ſatis, eſca ſumus.

Et Ovidius:

Nec quæ de Tyrio Murice lana rubet.

Non neſcimus, Plinium Muricer pro Buccinis, i. e. κήρυκες *Ariſtotelis, uſurpaſſe, dum ait: Purpuræ vivunt annis plurimum ſeptenis, latent ſicut Murices circa Canis ortum, tricenis diebus, &c. Quæ Ariſtoteles ita Græcè dixit,* τὰ μὲν γὰρ ὀστρακόδερμα πάντα φωλεῖ, οἷον τά τε ἐν τῇ θαλάττῃ πορφύραι, καὶ κήρυκες. *Et alibi Purpuram & Buccinum ad tincturæ uſum aptas recenſet, dum ait: Concharum ad purpuras & Conchylia eadem quidem eſt materia &c. Buccinum ore rotundo margine tantum inciſa, &*

Purpu-

Purpuram clavatam & roſtratam, aculeis in orbem ſeptenis, qui non ſunt in Buccino. Et alibi, Muricis nomen, tanquam genus turbinatorum accepiſſe, dum firmiores teſtas eſſe aſſerit, quàm Pectines. Et alibi muricem appellaſſe Concham, utroq; latere ſe colligentem, quæ Mutiani Echenéis eſt. Et alibi: Muricum generis ſunt, quæ Græci vocant Colycia, alii Corythia, turbinata æquè, ſed minora multo. Nos legeremus κηρυκεῖα, à Verbo κήρυξ, eo magis, quod æquè turbinata, ſed minora eſſe, idem referat, Buccini ſpecies parvas forſan intelligens: Carychia reponentes. Et alibi, omnia Maris animalia recenſens, Muricem nominat &, Buccinum omiſit, Purpuram ſuo loco referens. Quamobrem ſuſpicari non parum poſſumus, & forſan aſſerere, nil aliud muricem eſſe apud Plinium, quàm Buccini Synonymum; & turbinati genus ad Tincturæ uſum, vel Buccini effigie. At retenta Muricum derivatione ab aculeis, quibus exaſperantur, ad differentiam Purpurarum, quæ etiam ſunt muricatæ: reliqua teſtaceorum turbinatorum intelligamus, quæ muricata ſint, alio quam Purpuræ modo; ut ſcilicet triplici ordine Trigono Tribuli modo, quoquo verſu repoſita, elatis ſurſum aculeis infeſta, non in orbem, ut in Purpurâ. Vel non recedentes â Rondeletio, reliqua teſtacea grandiora tuberculis vel aculeis aliquo modo infeſta, nec longo roſtro ut Purpura, ſed illo carentia. Quam autem Purpuram intelligamus à Plinio deſcriptam, illam dicimus eſſe, ſed littoralem à Doctiſſimo Rondeletio depictam; quam Neapolitani Sconciglio appellant, menſis expetitam, & piſcatorio foro quotidianam; cujus Species plures obſervavimus, Magnitudine, colore, atq; aculeis variantes. Rariorem hanc Exoticam, Pelagiæ teſtæ ſpeciem, Romæ habuimus adhuc inviſam, quæ littorales no-

ſtrates quadruplo ſuperat, decem pollices longa, & quatuor ſuperans diametro, remiſſo turbine, tribus anfractibus contorto, ventrioſa, ore circa columellam aurito, pari limbo elato & lato, oris orbem alterâ parte adimplens, ſtrias per longum orbis diviſas, ut vulgaris, habens, in quibus magni admodum & tres pollices æquantes aliqui contorti aculei ſunt, eodem numero, contrario modo recurvi, & ideo Corniculatam appellavimus. In ſummo longo quinque pollices tubulo, deſinens, duobus aculeorum ordinibus, obliquè ſurſum tendentibus, rectorum aſpero ſepteno etiam numero. Colore ex albo pallente, ut Vulgaris; Rugis minimis verò & crispis tota Teſta obducta. Habitu verò vulgari adſimilis. Marmoreæ alterius Pelagiæ teſtæ effigies ab illâ, craſſitie, & magnitudine admodum diſtat, marmorea fere ſpecie: tribus aculeorum magnorum ordinibus, trigonæ, circuli ſectione diſpoſitis, quorum Major ordo & craſſior in margine oris, alter minor ex oppoſito, tertius minimus in parte poſteriore; non deſunt alii intermedii, ut ſeptem numero orbem majorem impleant, ut in Purpura; Differunt aculei craſſitie inſigni, curvitate, ac etiam quia cavi, & rudes appareant. Roſtro eſt recurvo depreſſo lato admodum, brevi, reſpectu Purpuræ vulgaris, rugoſo, ac illi in claviculæ parte, vetuſtius hærens roſtrum, umbilicum formantem in imo. Oris margo undoſâ lineâ terminatur, nec alterâ parte elato limbo aurito, ut in Purpuris aliis obſervantur: dodrantem æquat longitudine; Romæ habuimus hujus anni initio, cum aliis rarioribus, ſtriis & habitu in reliquis parum differt. Huic congeneres umbilicatas, eodem modo roſtratas, ſed minores, longis aculeis, verum tuberculis eodem modo diſpoſitis variantes, ſervamus. His deinde accedunt Purpuræ ſpecies

ſpecies aliæ majores, ſed tantum aculeorum vice tuberoſas, intus flavas, oris margine in columella aurito magno & elato: roſtro longo & tuberculis circum ornato, ut in Purpuris Rondeletii, ſtriis obliquè denſis ac per longum, limbis criſpis, oris elatis ſeptenis, tuberculos aculeorum vice parum infra crispa, ore elatiore limbi, dorſo proferentibus; Reliquis, cum Purpura ſit, non differt, duplo major vulgari: Hucusque Autor. Cogor fateri, me ipſum haud æquè in hoc dato *Columnæ* capite omnia poſſe aſſequi. Sed hoc debetur feſtinanti calamo transſcriptoris, cui olim, ut mihi tranſcriberet, mandavi, vitiosè notanti aliqua; quod nunc demum obſervavi, *Autore* ipſo, quem conferre voluiſſem, deſtitutus.

§. 8. Iſtam jam Magnitudinum differentiam ſicut diverſitati & Copiæ Alimentorum, indolique Locorum deberi (non excluſis veruntamen Cauſis aliis,) initio Paragraphi præcedentis dictum eſt: ita priusquam de *Augmentatione, Nutritionis* aſſeclâ, discedamus, & transeamus ad *Actiones Purpurarum* reliquas; placet de *Loco Natali* earum quædam inſpergere, ne hoc etiam comma negligentiùs transſiliiſſe videamur.

§. 9. *Locus Natalis Purpurarum* igitur eſt vel *Communis,* h.e. naturæ ipſarum ubivis conveniens, Aqua Marina, ut ex iis, quæ §. 6. dicta ſunt, pateſcit; indeque ad Littora uberrimè capiuntur, & Limoſis gaudent: vel *Proprius,* Maritimi quidam tractus, ad hæc vel illa Orbis habitabilis loca pertinentes; juxta quorum diverſitatem, diverſos quoque Colores Purpuræ haberi, inculcat *Vitruvius,* (lib. 7. Archit. cap. 13.) dum ait: *Non habet in omnibus locis, quibus naſcitur, (Purpura) unius generis Colorem; ſed Solis curſu temperatur. Itaq;*

quod legitur Ponto & Galliâ, quod hæ Regiones ſunt proximæ ad Septentrionem, eſt atrum: progredientibus inter Septentrionem & Occidentem, invenitur lividum. Quod autem legitur ad Æquinoctialem, Orientem, & Occidentem, invenitur Violaceo Colore. Quod verò Meridianis Regionibus excipitur, rubrâ procreatur poteſtate; & ideò hoc rubrum Rhodo etiam Inſulâ creatur, cæteriſque ejuſmodi Regionibus, quæ proximæ ſunt Solis curſui.

§. 10. In ſpecie verò de *Africanis* mentionem injicit *Nierembergius* (de Mirac. Terr. promiſſæ cap. 93.) illarum Tincturam punicam, aut quaſi-Violaceam, emergere. Et *Tyriæ* præſertim (unde Oſtrum Sarranum) ab urbe Tyro, vel *Phœniciæ,* â Regione, ubi ſita fuit illa Urbs, reputatæ fuerunt omnium optimæ, Fulgorem rubrum exhibentes. De quâ re jam ſupra, (Annotat. V. §. 12. & 13.) fuſiùs actum eſt.

§. 11. *Laconicarum* mentionem à *Plinio* fieri, *Columna* noſter (cap. 1. §. 11.) annotavit: qui *Ipſe* etiam *Tarentinas* (in Dedicatione) celebrans, *Puteolanas* præſertim à Plinio jamdicto laudari ait, & proprium de iiſdem judicium fert: (cap. I. §. 36.) *Capiuntur*, inquiens, *propè Miſenum Promontorium, in Puteolano Mari, loco, nunc vulgò Mare Mortuum appellato, ubi Maris æſtus non recipitur: Portusq; cenſetur, olim ab Agrippâ & Auguſto conſtructus.* Ubi ſequentia ſubjungit: *Capiuntur etiam toto Maritimo tractu Auſtrali, in Sinu Formiano, olim dicto, nunc Molæ oppidi.* Inque Maris Mediterranei ac Hadriatici locis pluribus capiuntur.

§ 12. Atque ſic de *Venetis* demum quid dicam? Quarum mentionem nî factam viderem à *Philandro* (ad *Vitruv.* lib. 7. cap. 13.) Ipſe ſimile de iis teſtimonium perferre poſſem. Ita verò ſcribit: *Venetiis quando agebamus, cum Stellâ Piſce*

attu-

attulit Purpuras aliquot Philippus Strozzius, Florentinus, &c. Ex illis contuſis Purpuris excepimus Saniem Violaceam gratiſſimam. Pluraque Natalia earundem Loca allegata videas apud *Clar. D. Sachſium*, lib. 1. Grammarol. cap. 16. pag. 374. ſeq.

§. 13. *Tempus* verò *capiendi* hoc notat *Heresbachius* in eleganti ſuo Libello, Thereutica inſcripto, qui annexus eſt Libris ſuis de Re Ruſticâ, pag. 816: *Purpuræ capiuntur poſt Canis Ortum, aut ante Vernum tempus: quoniam quando fœtificavére, fluxos habent Succos.* Et *Tempus Generationis* ipſarum cenſetur Ver præcipuè: quo ut omnia quaſi turgent, & multiplicationi ſui incumbunt Viventia; ita illæ agminatim congregantur in Mari, ac propagationi ſui ſtudent.

§. 14. Circa *Generationem* ipſam hæc imprimis notanda veniunt: Materia; Modus; & Effectus, vel multiplicatio Sui per Ova.

§. 15. *Materia*, ex quâ *Purpuræ* generentur, *Rondeletio*, poſt *Ælianum*, cenſetur *Materia Putreſcens.* Huic ab aliis *Limus*, *Favago*, aut etiam *Saliva* ſuperadditur. Ex *Limo* enim (nullâ re ampliùs) in genere Oſtreoderma quævis naſci, ſeria, (quod miror) perſuaſio eſt *Kircheri*, lib. 12. Mund. Subterr. Sect. 1. cap. 9. pag. 345. b. *Limum*, vel *Favaginem*, quæ é Limo Terræ & materiâ putreſcente orta fuerit, *Nierembergius* (lib. 6. Hiſt. Nat. cap. 17.) inculcat. *Ariſtoteles* autem hâc ex parte, Veritati accedens paulò propiùs, lib. 5. Hiſt. Animal. cap. 15. *Salivam* conjungit cum *Putrilagine*, citante *Moſcardo* (lib. 3. Muſ. cap. 53.) his verbis: *Naſce* (La Porpora) *non dalla Congiuntione, ma dal Fango, e da Materia corrotta: nella quale laſciando una Spuma, come Saliva, ivi moltiplica, come ſcrive Ariſtotele.* Et ad Salivam *Scaliger* quoque, de Subtil. (Exerc. 4. ſect. 17. nî fallor) provocat.

§. 16. Per quam undecunque etiam ex Purpurâ deductam, certè tamen *Principium aliquod Seminale*, animalculis iſtis *Proprium*, ſubtilis naturæ, in ſpumeo vel Salivali corpore tantisper recubans, meritò intelligimus, ſicut Semina reliquorum Animalium, (imò Plantarum) h. e. Auræ Genitales ſummæ puritatis, ſubtilitatisque, in vehiculo craſſo viſcidioreque natura recondidit, ne juſto citiùs diffluant, & Specierum, per propria Seminia, propagatio fiat irrita.

§. 17. Quod *Principium Genitale* Animalium, & in ſpecie Purpurarum, etiamſi cum *Panſpermiâ* Rerum cognationem non levem habeat; imò maximam ſui partem ex Sphærâ Univerſi ſit deductum; in *Semine Generali* tamen illarum, ut *Faber* (Panchymic. lib. 4. Sect. 5. cap. 14. pag. 503. a.) appellat, propterea minimè acquieſcendum eſt, quia caret Modificato Situ & ordinatione particularum, quibus ad Purpurillam producendam opus eſt. Quæ modificatio potiùs ipſi Purpurarum Corpori divinitùs demandata eſt; & prout organa earum ſe habent, juxta talem conditionem eorum etiam Character peculiaris toti Oeconomiæ Spermatis imprimitur. Quale quid *Ideas Operatrices* vocare poſſemus cum *Marco Marci*, celebri Bohemiæ Medico ac Mathematico, cujus Liber de iis, ex Ingenio ſublimi natus, meretur Lectionem. *Petri Johannis Fabri* modò dicti verba veruntamen adducamus: *Fiunt, & progignuntur Semine Generali, & Spiritu Seminali Aqueo: quod pedetentim Calore Solis in locis peculiaribus disponitur, & animatur in Conchas. Non enim Ova pariunt, nec Semen habent particulare, progignantur, ſed Vitam ſuam habent ex Chaos Aquæ, h. e. ex Spiritu illo Generali, qui Aquis incubat*, &c.

§. 18.

§. 18. *Modus generandi* pariter, ob quandam obſcuritatem, diverſam hominibus conjecturam peperit; nec ſatis liquet, an ad Purpurarum geneſin ſufficiat ſola *Genitalis Humoris Effuſio:* vel opus inſuper ſit *Transfuſione* quadam, & œſtro Veneris, inter utrumque Sexum, prægreſſo.

§. 19. In Simplici *Effuſione Salivalis aut Spumei Humoris* videtur *Moſcardus*, ex Ariſtotele, acquieſcere, anteà (§. 15.) laudatus. Cum quo conſentit *Jonſtonus* (d. Aquatilib. Exſanguib. pag. 43. a.) dum ait: *Effluit in Terram id, quod continebant. Atque eo in loco Purpurillæ minutæ oriuntur atque concreſcunt.* Imò, ſi exenplum de Oſtreis huc quadrat, nec planè de vetitate Hiſtoriæ dubitandum ſit, (verbis Præclari *D. Wormii* lib. 3. Muſ. cap. 7. pag. 254.) *Mirum eſt, quod refert Petrus Gyllius, Se à Viris non paucis ſpectatæ fidei accepiſſe, ByZantinos Oſtrea ſerere; & eorum quaſi Lac ſeminare. Id ipſum enim in Aquam injectum, ad Saxa ima adhæreſcere, & Oſtrea fieri.*

§. 20. Per *Transfuſionem* verò intelligo jacturam Liquoris Spermatici, de Purpurâ unâ (Animali) in alteram. Quod utrum *Affrictu* fiat, vel *Inoſculatione Cornuum mutuâ*, non liquet. *Affrictu* utique Propagationem fieri, exiſtimat *Freigius*, lib. 33. Quæſt. Phyſ. pag. 1024. ſcribens: *Verno Tempore mutuo affrictu Lentorem cujusdam Ceræ ſalivant.* Quorſum refer, quod ipſe *Autor* noſter (de Purp. cap. 1. §. 20.) profert.

§. 21. *Effecta Generationis Purpurarum* ſunt vel proximè, *Ova;* vel ultimò, Individua cultiora ipſa, in quibus Species propagetur, aut *Purpurillæ*.

§. 22. *Ova* quidem *Purpuris* denegari, modò (§. 17.) ex *Fabro* percepimus: ſed benigniores ſimus in admittendâ aut

aut explicandâ Voce Ovi. *Ovum* Doctoribus in Anatome noſtris hodie eſt, quævis Genitura (etiam recentisſima) quam Membrana ambit; orta, ut mihi videtur, ex neceſſitate materiæ, ſicut pellicula Pulti obnaſcitur, quod calor particulas viſcidas in vaporem non potuit redigere. Unde Humor genitalis intra Membranulam magis magisque elaboratur, irritato ibi Spiritu Architectonico, à vicinis Caloribus, ut alia occaſione dixi. Perindeque eſt, ſive Ova extra Uteros ponantur, ſive non; magna ſint, aut parva; conſpicua, aut inconſpicua; & Salivali Spumæ interdum innatantia; cortice duriuſculo veſtita, aut minùs; rotunda vel Ovalia aliquandiu maneant, aut ob flexibilitatem laxitatemque genitalis ſuæ Membranulæ, & directionem peculiarem ſui Spiritus, ſtatim Spirales quasdam convolutiones exordiantur; cujusmodi *Ovis Spiralibus* Cochlearum aut Limacularum corniculatarum, recentisſimisve Eorundem Fœturis, aliquot millies millenis hinc inde conſperſa, tanquam nive aut grandine, videre eſt pasſim in littore Maris Balthici, Folia Quercûs Marinæ; ut imprimis Eclenfordæ, tribus abhinc Milliaribus, notavi.

§. 23. *Purpurarum* Ova vel Semina itaque aut Spumam earundem prolificam, ſimiliter in Vado Scopulis & Plantis ſubmarinis puto allini: unde ſuperventu Caloris Radiorum Solarium, per angulos acutos ex alveo Maris reſultantium, Calefacientiumque ibi hærentia Corpora potiùs, quàm ut indifferenter Frigiditatem inſignem locis ſubmarinis debeamus tribuere, cultius cultiùsque efformantur tenella *Purpurillarum Corpora*, & Muricata ipſarum *Species* lætè conſervatur.

§. 24. Quibus hac ratione (citra ullius tamen præjudicium)

cium) explicatis; videamus, an & quales *Purpurarum* ſint *Actiones* reliquæ, quibus Animalis ipſarum Natura clariùs porrò ab oculos ponatur. Eoque cenſu habentur hæ duæ: *Senſus*, ac *Motus*.

§. 25. *Senſibus* omnibus non gaudent quidem, cum minor in Teſtaceis tam his, quàm omnibus aliis, Partium apparatus, Senſuumque numerus plenus ad Vitam illorum minîmè neceſſarius ſit. *Tactu* tamen & *Guſtu* pollere, certum eſt. Et non auderem quidem, cum *Dn. D. Jonſtono* (de Aquatil. Exſanguibus, pag. 43. a.) *Odoratum* inſuper ipſis tribuere, quo Purpuræ valeant; & ad Eſcas proin é longinquo accedant: *Viſum* tamen é contrario iisdem non mordicùs denegarim, ob Oculos veluti, in medio cornuum conſpicuos, ut ab *Autore* noſtro docemur.

§. 26. De *Motu* verò paucula ad Capitis hujus 1. §. 34. dicemus.

ANNOTATIO XII.

Ad Cap. I. §. 33. & 34.

De Carnoſis Purpuræ Partibus, ac reliquis, intra Teſtam contentis.

Breviarium.

§. 1. *Tranſitus ad Partes Molliores.*
§. 2. *Purpuræ* Caro *penè tota, Muſculus.*
§. 3. *Ejusdem Qualitates, & uſus ad Menſam.*
§. 4. *Temperamentum calidum potiùs, quàm frigidum.*
§. 5. *Diſtinctio Molis Carneæ in Partes.*
§. 6. *Limbus gradiens vel repens.*
§. 7. *Fauces vel Os.*

§. 8. *Caput.*
§. 9. *Cornua, vel Cornicula.*
§. 10. *Cervix vel Dorſum.*
§. 11. *Linguæ longitudo ac Uſus, ad Aquam trajiciendam,*
§. 12. *Teſtasq; perforandas,*
§. 13. *non Roſtro; quod impoſſibile, ex Mechanicis.*
§. 14. Plinii *locus quomodo explicandus?*
§. 15. *Artificium, Purpuras capiendi, per Oſtrea.*
§. 16. *Oculi Purpurarum.*
§. 17. *Ventriculus: & Meſenterium iisdem tributum:*
§. 18. *Cor, Hepar, vel Papaver.*
§. 19. *Vena: & Sanguis.*
§. 20. *Saliva, & Succus, quadrupliciter acceptus.*

§. 1. DUriorem *Purpuræ* Portionem, h. e. Teſtam, ſuperius (Annotat. IX.) ab omni ejus parte ac latere abundè vidimus. Nunc nos ducit *Autor*, ut *Partium* etiam Molliorum, in Teſtâ *contentarum*, inſtituamus ſcrutinium aliquod, poſtquam nimirum §. 33. mentionem injecit de *Carne* illarum, *Cervice, Corniculis, Oculis;* nec non §. 34. de *Linguâ, Limbo gradiente*, vel *Carne*, extra Teſtarum, inter rependnm, prominulâ. Hinc *Carneam Molem* quaſi totam, in genere primò, placet perpendere; inde ad Portiunculas ejusdem, quibus integratur, ordine procedemus.

§. 2. *Carnem Purpuræ* convenienter *Jonſtonus* (de Aquatilibus Exſangu.) vocat *Muſculum* quendam fortem ac candidum, mediæ Teſtæ alligatum: nam certè Fibrarum Carnearum Texturâ gaudet firmâ & copioſâ adeò, ut, ſi citra tales foret, non video, quomodo Corpuſculum id, Teſtam adeò duram, craſſam, & tot eminentiis gravem, ferre citra languorem, & ſæpiùs ſupra ſe à latere ad latus in ſpiram gyrare poſſet.

§. 3.

§. 3. *Color flavicans, denſis Maculis, ex Cæruleo purpurantibus depicta*, ipſi adſcribitur ab *Autore* noſtro, (cap. I. §. 33.) *aliis exiguis luteis immixtis, præſertim in Cervice. Odor* autem vix ullus, niſi ſummùm Marinus. *Sapor* talis, qualis eſt Turbinatis reliquis; ut Salſum nempe Succum contineat, qui Alvum ducit. Ob *duritiem* tamen & tenacitatem Fibrarum, Ventriculo minùs convenit, concoctuq; difficilis eſt. Ac fuiſſe Priſcis in Cibo, Scriptorum autoritate conſtat: *Martialis* præſertim; cujus Diſtichon hoc *Columna* tum Cap. I. §. 23. tum alibi proinde recitat:

Sanguine de noſtro tinctas, Ingrate, Lacernas
Induis: & non eſt hoc ſatis; Eſca ſumus:

ac hodienum Menſis inferri ab Italis ſuis, idem *Columna* l. d. §. 36. 37. memorat.

§. 4. *Temperamentum Frigidum* & humidum vulgò iis tribuitur: ſed ſi balſamicorum aut nerveorum quaſi Spirituum copiam, quâ tota Purpuræ Moles carnea vivaciter agitur; ſi Sanguinis item haut pauci manifeſtam præſentiam; ſi vim nutritivam aut medicam etiam contemplemur; *Calidius* potiùs exiſtimandum erit. Poteſtque de *Viribus medicis* illius, antè-laudatus *Jonſtonus* legi.

§. 5. In ſpecie, ſic eandem liceat velut dirimere in *Partes:* ut nempe harum pleræque *Solidiuſculæ* quidem ſint; *Fluidiores* veruntamen etiam aliæ. *Solidiores* porrò divido, in *Carnoſas*, & Proprii generis. *Carnoſas* nomino, *Limbum* gradientem; in eoque *Fauces vel Os; Caput;* in eoque *Cornicula; & Cervicem;* cum *Linguâ. Proprii*, aut ab his diſtincti *generis*, videntur eſſe, *Oculi; Ventriculus; Meſenterium, ac Cor*, cum *Hepate* & *Papavere* (ſi quæ horum ſunt): præcipuè verò quæſita olim tot laboribus, tantoque precio redempta, Pur-

purei Laticis proma conda, *Vena*. Cujus *Sanguis* demum, cum *Salivâ*, & *Succo*, ad *Partes fluidiores* pertinent. Quæ omnia diſtinctim jam clariora fient. Tamen breviter.

§. 6. Ad *Limbum gradientem* itaque quod attinet; per eum hîc intelligitur inferior illa, majorque Carnis pars, quæ extra Teſtam emergens, & per iteratas Expanſiones Contractionesque ſui immediatè tangit, & lambit ſuperficiem Corporum, per quorum Plana fertur. *Limbumq; gradientem vel repentem* placuit dicere, ad diſtinctionem ejus à Limbo Purpurarum alio, qui ſe ipſum movendi, vim nullam habet, h. e. Limbo duro Teſtarum; prout de utroque, & quidem aliquantò pleniùs, infrà in *Lexico Oſtracologico*, ſub voce *Limbus*, actum eſt.

§. 7. *Fauces vel Os* in anteriore Limbi jam dicti parte quadam ſitum, foraminequo rotundo pervium eſt; quâ parte nempe Purpura Scopulis adhæret, Lapides arrodit, ut *Wormius* loquitur, & in *Stomachum* exugens Liquamen nutritium demittit, quo ſcopuli ſub Mari oblinuntur.

§. 8. *Capitis* Turbinatorum notationem in *Lexico* item abundè declaravimus. Speciatim verò *Purpuræ*, cartilagine unac durum *Wormius* jam-dictus tribuit, lib. 3. Muſ. cap. 8. pag. 258

§ 9. *Cornua vel Cornicula*, parum aut nihil obſcuritatis habent; imprimis quod in *Lexico* identidem huic Voci explicandæ ſatisfactum ſit; quò *Lector* benignus remittitur. Limacum modo illa attollit, iisque iter pertentat; & ab illis differt ſaltem in hoc, quod Oculos non in ſummo eorum exſertos, ſed circa medium infixos habet.

§. 10. Regio capitis illa, quæ proximè poſt Cornicula eſt, *Cervix aut Dorſum* Carnis appellatur: quam maculis diverſi

verſicoloribus variegatam, & exiguis luteis præſertim ornatam, notat in præſenti §. 33. Noſter *Autor*.

§. 11. *Linguam Idem* (§. 34.) deſcribit quidem, & notanter ait, illâ Aquam fiſtulæ modo exſpuere, *Se Vidiſſe*: in Icone tamen non expresſit; & concipienda forſitan talis erit, qualem cæteroquin (ſervatâ proportione Animalculi) exhibet cap IV. in hâc Parvi Buccini Figurâ:



In Purpurâ ſanè *Longitudo* Linguæ planè Digitalis tribuitur ex *Plinio*, lib. 9. c. 36. dum ait: *Lingua Purpuræ, digitali longitudine, quâ paſcitur, perforando reliqua Conchylia.* Unde Proverbium: Purpurâ voracior.

§. 12. Illamque *Rondeletius* firmam toroſamque concedit, & Promuſcidibus Muſcarum, quæ inter cornua ſunt, comparat; ſed tam duram eſſe, ut *Teſtas perforet*, rectè negat; *Roſtro id fieri* addens, & quidem *Veriſimiliùs*; quæ *Dn. D. Jonſtoni* Epicriſis eſt. Sed, quoad poſterius hoc, fallitur uterque.

§. 13. *Roſtro* enim id fieri, imposſibile eſt: quia (1.) Obtuſum maximè illud eſt: (2.) non ſimplex, ſed geminatum ferè: (3.) fragilius Teſtâ perforandâ, Præſertim Oſtreæ.

(4.) Repandum, non rect-acutum. Et (5.) quod maximum; ubi eſt maxima illa externa vis, quæ requireretur, ad Teſtam adeò gravem, magnam, irregularem, minusque acutam, in actu Terebrationis creditæ, & ſuspenſam ritè tenere in æquilibrio, & circumagere fortiter, & circumagendo ſimul in Solidum aliud, presſivo modo, agere. Habet etenim Terebra Vim Serræ & Cunei. Cuneus verò vim Mallei & Plani Inclinati; ut *Mechanica* nos docet. Unde Pignore in medium poſito, præſumerem vincere, ſi vel forti & agili manu aliquis, Purpuæ Teſtam aſſumeret, & Roſtro ejus terebrare tentaret Teſtam Oſtreæ; non ſucceſurum.

§. 14. Quin aliter paulùm *Plinii* verba ſunt capienda, explicandaque non de *Terebratione* aliquâ rudi ac violentâ unius Solidi ab altero Solido, (à Purpuræ Roſtro; aut Linguâ valdè durâ) ſed quod Purpuræ Linguâ ſuâ, tanquam inſtrumento oblongo, ſtricto, & exploratorio, Rimas hiantium Oſtrearum, aliorumque Conchyliorum, perveſtigent primum, hinc damnosâ ſibi Eſcæ ſpe, intrò ſe, in easdem recipiant, & à claudente Conchylio ſe, detineantur, ut tumefactam ibi, non posſint retrahere.

§. 15. Unde Artificium, Purpuras ope Oſtrearum capiendi, enatum jam ſupra (*Annot.* XI. §. 5.) ex *Heresbachio* deteximus; cui ſuffragatur *Sandyſii*, Angli, Relatio, quæ exſtat in Ejus Itinerario, Germanicè reddito, (ubi de Tyro agit) pag. 465: *Die Zunge eines Purpur-Fiſches iſt ungefehr eines Fingers lang, und ſo ſpitzig und kurtz, daß er damit eine Auſtern-Schale aufbrechen kan, welches auch die Urſach iſt, daß er gefangen worden: denn die Fiſcher fülleten ihre Reuſen damit, die ſie in den Grund des Meeres ſincken lieſſen. Wann nun der Purpur-Fiſch darzu kam, ſteckete er ſeine Zunge darzwiſchen ein.*

Wann

Wann er nun die Auſtern heraus Ziehen wollen, ward er durch das geſchwinde Zuſchlüſſen ihrer Schalen feſt gehalten, daß er ſie nach ſich Ziehen, noch ſo nahe beykommen konte, ſie Zu öffnen.

§. 16. *Oculorum* Purpuræ deſcritiponi, à *Columnâ* ipſo, (cap. 1. §. 33.) accuratò propoſitæ, quæ addam, non habeo, niſi, quod illorum mentionem aliam etiam facit *Severinus* in ſuâ Zootomiâ (part. 4. pag. 350.) ſed, dum dicit ibi, *longo tubulo eſſe impoſitos,* tam facilè aliquis poſſet ex his verbis colligere, Purpuras Oculos ſuos geſtare in ſummo vel Extremo Cornuum; quàm in Medio eorundem: id quod *Columna* multò diligentiùs ac diſtinctiùs expreſſit.

§. 17. *Ventriculum* verò etiam vel *Stomachum*, cujus jam paulò antè (§. 7.) mentionem brevem ingesſimus, quique faucibus ferè contiguus eſt, cum appendicibus depingit (niſi modò in Anatome valentiùs illum expanderit) Idem, quem dixi, *Severinus*: ac *Meſenterium* præterea illis tribuit, ſimile Lacertæ vulgaris. Fides ſit penes Autorem.

§. 18. Item *Cor,* quod Ervi magnitudine ſit, ipſi adſcribunt Zoologi aliqui; quod alii contra habent pro *Hepate,* dicuntque viſcidulum eſſe, lentore tenaci præditum; & *Papaver*, Græcè Μήκων, ab *Ariſtotele* vocari, ad cujus latus Purpureus Mucus appareat. Eſt Palato gratius Carne, aut reliquis Purpuræ partibus. Scripſitque *Athenæus,* citante *Jonſtono*, copioſiùs alere: at magis etiam Scillam ſapere. Imò *Wormius* Autor eſt, ſi quis copioſiùs eo utatur, Bilem Nauſeamque procreare, atrique humoris copiam. &c.

§. 19. De *Venâ* verò agetur inferiùs, in eâ ad *Columnam* Annotatione, ubi de Porphyropœiâ, vel Purpurificio, ſermo inſtituetur. Deque *Sanguine,* Succo, vel Muco Purpureo ibidem tractabitur.

§. 20.

§. 20. De *Salivâ*, quâ Purpuræ madent, ſicut Turbinata quælibet alia, quâque ſuperficiem Corporum oblinunt, per quam ſerpendo feruntur, puto rem eſſe vulgo notiſſimam. Per *Succum* verò quatuor poſſunt intelligi: (1.) Humor in Concavo Teſtæ dinatans, compoſitus velut ex ſalivali humiditate, reſolutâ ibidem, & Aquæ marinæ hauſtæ partibus. Unde trahenda huc mihi videntur verba Autorum, qui Purpuras continere Succum Salſum, alvique ductorem, ajunt. (2.) Salivalis jam-dicta humiditas. (3.) Humiditas interna, balſamica, nutritiva (& quidni Genitalis etiam?) in ipſis Fibris carneis. (4.) Cruor vel Mucus purpureus, de quo jam (§. 19.) dixî.

ANNOTATIO XIII.

Ad Cap. I. §. 34.

De Actione iterum Purpuræ potiore aliquâ, vel Motu.

Breviarium:

§. 1. *Motus Purpurarum duplex.*
§. 2. *Volutatio Totius; ejusq; commoda.*
§. 3. *Volutandi modus undoſo-circulatorius.*
§. 4. *Motus & incurvatio Corniculorum.*
§. 5. *Ductio Aquæ per Linguam, ad quid?*
§. 6. *An Vocem edant?*

§. 1. Ne longè nimis excreſceret *Annotatio XI.* ſuperiùs propoſita; à fine ejusdem rejecimus huc, Conſiderationem Actionis *Purpurarum* maximè nobilis, vel *Motûs*. Qui eſt vel Totius, vel Partium.

§. 2.

§. 2. *Tota Purpura Movetur* Serpendo paulatim, ut Turbinata reliqua; ſuo domicilio tamen, vel Teſtâ, non egreditur, niſi ultra dimidium; nam intùs fixa hæret. In quo opere hæc duo, ut ſic dixerim, in Teſtam beneficia redundant: (1.) ut Lîmbi ipſius increſcant quotannis, & tota Volutæ concameratio major fiat: (2.) ut vi Volutationis iſtius Carnoſæ, Teſta transportetur de loco uno ad alterum, per modum Circumactionis. Quam his verbis deſcribit *Columna* Cap. I. §. 34: *Teſtam aliquando gaudet circumagere, illam in totum extollens, corpore in baſis modum ad hoc elato.*

§. 3. *Modus Volutandi* ſucceſſivis aut alernantibus Dilatationibus partis carnoſæ in Limbos diductos, & Contractionibus *undoſis* ejusdem perficitur: ex quo non obſcurè arguere licet *Motum* quendam *Succi* innati *Circulatorium*, periodico ſuo ingreſſu tubulos aut fibras carneas, turgeſcere ac iterum detumeſcere facientem, ita, ut dum ſuperior aut anterior pars tumet, oppoſita ei fiat flaccida; & contra. Dum Purpuræ intra Teſtam ac Operculum latent in Hyeme, veriſimile eſt, motus illos humoris balſamici aut planè ceſſare, aut illud, quod omnium ſubtilisſimum eſt, ſubtilisſimæ auræ inſtar, citra magnam Carnis inflationem, partem Carnis unam poſt alteram, reciprocè perambulare.

§. 4. Sub *Motu Partium*, Agîtationem Corniculorum intelligo, & Ductionem Aquæ. Ex quibus ad *Vibrationem Corniculorum* quod attinet; præter contractiones retractionesq; illorum, in Cochleaceo genere quovis conſpicuas, vulgòq; notas, hoc imprimis peculiare Purpuris *Columna* noſter ait eſſe, quod, ut in §. 33. refert, (1.) Oculos non in ſummo, ſed medio inſculptos habeant: (2.) incurvare cornicula illa, ſupra ſedem oculorum, non raró, ad ſpecialem horum de-

ſenſionem ſoleant. Unde Fibris tàm rectis, quàm circularibus conſtare, conjectura non planè ocioſa in medio relinquitur.

§. 5. Et *Ductionem Aquæ*, h. e. ſorbitionem ejusdem, redditionemque iterum, vel exploſionem congruam, Natura videtur ad Commodiorem Earum Nutritionem excogitaſſe; minimè verò *augendi ponderis* gratiâ. Cur enim Purpuræ, ut graviores fiant in Aquâ, Aquam ſorbeant? Nullum Elementum in propriâ Sede gravitat.

§. 6. Tum & *Vocem emittere Purpuras*, abſit, ut imaginemur; tantum abeſt, ut ſtatuamus ſeriò. *Fuchſius* quidem (lib. 1. d. Comp. Med. cap. 15. pag. 68.) ſcribit, Purpuras *interdum, flante Vento per anfractus ſibilum emittere, ut Tuba videatur:* ſed qualis eſt Scopulis concavis, Urceo, aut ſimilibus rebus, Vociferandi potentia, dum ſpiritu fortiùs inflatæ ſuſurrum reddunt aut ſibilum; talis etiam concameratis Purpurarum Teſtis eſt. Hoc eſt, nulla propriè & per ſe; quoniam Folle, Fiſtulâ aut aliis vociferandi organis deſtituuntur.

ANNOTATIO XIV.

Ad Cap. I. §. 37. & 38.

De Purpurariis & Porphyropœiâ, vel Purpurificio

Breviarium.

§. 1. *Cur Annotationibus ad Cap. I. hucusq; prolixiùs navatum fuerit?*

§. 2. *Infectores Purpurariis viliores.*

§. 3. *Purpurarii, i. e. Purpureæ Tincturæ vel Artifices, vel Venditores.*

§. 4.

§. 4. *Doctrinæ de Purpurificio ſuccinEta delineatio.*
§. 5. *Purpura Succus, Sanies, Oſtrum, ac Virus dicta.*
§. 6. *Purpuræ inventio:*
§. 7. *Ejusdem deperditio, ac deperditionis cauſa.*
§. 8. *Præparationem Purpuræ quæ præceſſerint?*
§. 9. *Fractio Teſtæ, uno ictu: (Mors purpurea quid?)*
§. 10. *Succoſæq; partis Exemptio.*
§. 11. *Coctio ipſa dein, (in quali Fornace?) ac Deſpumatio.*
§. 12. *Tandemq; Veſtiariæ Rei Immerſio, cum Examine Probitatis.*
§. 13. *Purpuræ olim Dignitas, Uſus, & Abuſus:*
§. 14. *Ejusdemq; Precium inſigne.*
§. 15. *Purpuram geſtare, quibus olim licitum?*
§. 16. *Imperatores & Triumfantes Purpurati. Eorundemq; ac Mulierum, Purpurei Calcei.*
§. 17. *Purpura Regia, ſummiq; Magiſtratus.*
§. 18. *Lecti & Faſciæ purpureæ. In Purpuris Imperatorum naſci.*
§. 19. *Libri & Literæ purpureæ. Encauſtum: Regia ſcriptura.*
§. 20. *Encauſtum, Uriculum, ab Urendo; Atramentum cujusvis Coloris: Ars Encauſtica.*
§. 21. *Inchioſtro Italorum; & Encauſtum Chalcographorum.*
§. 22. *Purpuræ honor Sacer. Deæ Purpureæ.*
§. 23. *Purpuræ Abuſûs duplex:*
§. 24. *ad Luxum;*
§. 25. *& Contumeliam.*

§. I. ULtimum, quod ad hoc Caput I. *Columnæ* mihi videtur, Notationem aut Commentariolum aliquem mereri; ſunt *Infectores, Purpurarii, & Porphyropœia,* vel Purpuræ præparandæ antiquum Artificium. Quibus demum peractis, puto, me explicationi *Autoris* quammaximè ſatisfeciſſe. Reliqua Tractatûs ſui Capita, ſicut ſecundariò magis, quàm ex intentione principali, ab *Ipſo* adjecta ſunt, ob cognationem materiæ: ita non eſt, ut in iis explicandis prolixiùs occupemur.

§. 2. *Infectorum* igitur primò mentionem aliquam (§. 37.) ingerit, dum ait: *Ob maximam Fuci Copiam, quem Vulgus Roccella denominant, quo nunc Infectores pulcherrimam Purpuram conficiunt, Sericia inficientes variis Colorum gradibus, minore labore ac impenſâ, & maximo lucro, &c.* Ex quibus verbis perſpicuè ſatis colligere eſt, *Infectores, Columnæ* tempore, aut etiam antiquiore ævo, Purpuræ Confectionem cum lucro æmulatos, dignos haut viſos, qui *Purpurariorum* gauderent titulo; quin velut Officio, ſic nomine, fuiſſe maximè diſtinctos.

§. 3. Tum & in *Purpurarii* voce aliqua ſubeſſe videtur Æquivocatio, poſtquam non minùs *Tinctores* vel Præparatores Coloris illius Regii, quo ſenſu utitur *Autor* noſter, §. 38. quàm *Mercatores* aut Negociatores, talem pannum vendentes, hoc titulo gaviſi videantur: ac horum ſive alterutros, ſive utrosque, *ſecundùm veterem Conſuetudinem ab omni munere immunes eſſe,* Imperator decrevit, (Leg. 7. Cod. de Excuſationibus Munerum.)

§. 4. Sed *Porphyropœias* ipſius negocium hîc imprimis cordi curæque habeamus: dictæ à *Purpurâ, & Facio;* unde in Inſcriptione capitis hujus conſultò etiam *Purpurificium* appellavi, vel celebre olim Purpuræ, per Coctionem parandæ, magiſterium. In cujus deſcriptione, ut Ordinem aliquem teneam, placet his partibus totam de negocio eo doctrinam metiri, dicendo breviter (1.) de Purpuræ Veteris naturâ ac titulis: (2.) Inventione ac iterum deperditione: (3.) Præparatione Oſtri, notâque optimæ Purpuræ. (4.) De Purpuræ demum Dignitate, Uſu & Abuſu.

§. 5. (I.) *Quoad naturam ac titulum;* Ratione Subſtantiæ, *Succus* convenientiſſimè dicitur, contentus inter Paver

paver & Collum, texturâ densâ, colore candidæ Membranæ, quâ ablatâ compreſsâve, Manum tingi accidit. Ratione Cauſæ Efficientis, *Sanies*, quaſi quæ per modum ac vim Digeſtivæ in Animalculo Functionis, ad ſedem peculiarem Purpuræ, tanquam Sanies in Ulcere, transpoſita ſit. Ratione Materiæ verò *Oſtrum*; quo nomine *Vitruvius* utitur: dictumque de Oſtro affatim inveniet Lector ſuprà, Annot. 3. Ratione Qualitatis, *Flos*, uti Ariſtotelem, Plinium, ac plures alios vocaſſe deprehendimus: quem Florem, h. e. Succum aut Sanguinem Purpuræ, vivacisſimi Coloris, Plinius in mediis Faucibus ſtagnare docuit. Ratione Efficaciæ, *Virus*, & velut Contagium aut Venenum; quòd quemadmodum Veneni fermentalis fomes ex minimo ſpacio vim ſuam longé lateque exſerit, ita Purpurei Succi exigua portiuncula magnam ad Veſtes tingendas habuerit vim. Quam in rem plura, ſi placet, vide apud *Barthium* in Adverſariis, (pag. 478.) ubi *Virus* pro pluſculis rebus, etiam minùs venenatis, adhibitum cognoſces.

§. 6. (II.) *Quoad Inventionem*; poſtquam opinio ſemel invaluit, *Herculem*, aut ejus Amaſiam, primò Mortalibus Purpuram monſtraſſe, ut ſuperiùs (*Annot.* 5. §. 13.) dictum eſt; poſtmodùm in viſcera Purpuræ frequentiùs fuit itum: traduntque Autores, Succum non in demortuis, ſed recentibus eſſe quærendum, & extorquendum citò ex iis; aliàs vix inveniri.

§. 7. Imò Tincturæ iſtius parandæ uſus planè iterum *interiit*. Cujus rei cauſam *Cardanus* (d. Subtil. lib. 4. pag. 240.) ignorare Se ait: *Nierembergius* verò (d. Miraculoſ. Terræ prom. cap. 93.) cauſam exiſtimat eſſe hanc, quod Turcæ ac alii Barbari, Syriam, in quâ Purpura reperitur, occupa-

rint. Quaſi verò vel Italiam etiam occupaſſent, Purpurarum captu itidem non ignobilem; vel in ipsâ Syria hodie Faſtus & Avaritia non æquè etiamnum, ac in Europâ noſtrâ, regnet, Orientalibusque Ingenia deficiant, aliquid, unde diteſcere poſſint, inveniendi, vel aliorum ibi Inventa utilia, altiùs altiùsque evehendi.

§. 8. (III.) Ad *Præparationem* verò quod attinet; illam, ni fallor, *præcedebat* hoc, ut ſcil. (1.) *Confringeretur Teſta:* (2.) vel quomodocunq; *Exemptioni Venæ* aut Animalculi totius, opera daretur.

§. 9. *Confractio Teſtæ, Uno ictu* Lapidis fieri debuit, ut gradum Tincturæ deſiderabilem Purpura ſervaret. Secùs; Animal dolorem non diu ſuſtinuiſſe traditur, quin amiſiſſe Colorem, ut iterum legimus apud *Nierembergium*; eò quòd per dolorem vel Sanguinis meliores partes Purpura evomat, vel Spiritus diſſipentur ac diſtrahantur, (& Latex balſamicus nativo ſuo lumine vitietur) vel Succus, (velut ſideratione quadam) in univerſum Corpus diffundatur, atque è Venâ evaneſcat. Unde agili manu, ictuque ſimplici opus fuerit; & hominum, celeri ac valido impetu ſuccumbentium *Mortem* non aliunde, quàm ex hoc ipſo deductâ ſimilitudine, *Purpuream* appellari, Doctisſimus *Watſonius* (part. 1. Theatr. Variarum R. tit. 1.) autor eſt.

§. 10. Et *Modum Exemptionis* ſic deſcribit *Vitruvius*, lib. 7. Architect. cap. 13: *Ea Conchylia cum ſunt lecta, ferramentis circa ſcinduntur: è quibus plagis Purpurea Sanies, uti Lacryma, profluens, excuſſa in Mortariis terendo comparatur; &, quòd ex Concharum marinarum Teſtis eximitur, ideò Oſtrum eſt vocitatum.*

§. 11.

§. 11. *Ipſa Confectio Oſtri* dein ſic fiebat, præeunte iterum nobis *Nierembergio*: Coquebatur Sanguis cum Venâ, priùs apertâ, in Vaſis vel Lebetibus plumbeis, (adjectâ tamen Aquâ) modico vapore, & longinquæ *Fornacis* cuniculo, (aut moderato Ignis gradu) Inde ſplendidus ille, & quaſi intermedius inter Rubrum & Nigrum, Color eliciebatur, qui Caryophylli eſt. Deque *Purpuræ Fornace* jam-dictâ confer *Libavium* Vol. 2. Alchem. part. 1. pag. 161. Nec *Deſpumatio* lenis ab hoc ipſo Porphyropœias molimine eſt excludenda; præſertim ſi Calor fortè intenſior fuerit.

§. 12. *Præparationi demum ſuccesſit*, proximè quidem ipſa applicatio Purpuræ ad tingendum, videl. Pannorum, Lanæ, aut Serici in eandem *Immerſio*; longiùs verò aut longisſimè, *Nota Probitatis*, quæ in duobus quæſita eſt: (1.) ut Maculam non relinqueret; ita enim *Nierembergius*: *In Italiâ*, inquit, *discernunt veram à nothâ, per Oleum, Filo Serici Purpureo affuſum. Si enim relinquat Maculam, Notha judicatur; ſin minùs, Legitima.* (2.) ut diu Durabilis eſſet, & perennaret. Purpurâ enim infectæ Veſtes, ſi *Barthio* (lib. 22. Adverſar. cap. 20. init.) credimus, nequaquam elui poterant. Quorſum trahit Locum *Eſaiæ* cap. 1: Καὶ ἐὰν ἀι ἁμαρτίαι ὑμῶν, ὡς φοινικῶν, ὡς χιόνα λευκανῶ: quaſi illud alioqui factu ſit imposſibile.

§. 13. (IV.) de *Purpuræ* tandem *Dignitate, Uſu, & Abuſu* annecti poſſent multa: Sed tempus aliquando eſt, in Negocio circa Caput 1. *Columnæ*, Vela verborum contrahere, & reſiduam hanc partem doctrinæ evolvere parciore manu.

§. 14. *Dignitas Purpuræ* antiquo ævo omnium maxima ſemper exſtitit, & *Precium* Margaritis æquale, ut ex *Plinio* discimus: ex quo etiam hoc Elogium inculcat *Columna*, initio ſtatim Dedicationis Purpuræ ſuæ ad *Cardinalem Sanneſium*,

neſium, dum ait: *Quanti olim & Uſûs & Precii Purpura fuerit, Ampliſſime Cardinalis, vel ſolus Plinius Hiſtoriæ ſuæ Naturalis Libro nono nos docere poterit, cujus hæc conceptu ſunt Verba: Nepos Cornelius, qui divi Auguſti Principatu obiit, Me, inquit, juvene Violacea Purpura vigebat, cujus Libra Denariis centum venibat; nec multò poſt Rubra Tarentina.* Quam rem aliquantò clariùs exponit *Polyd: Virgilius* de Rer. Invent. lib. 3. cap. 6.

§. 15. De Uſu enim Purpuræ apud *Romanos*, modò dictus *Virgilius*, ac in ſpecie, quibus illam ibi geſtare licitum aut non licitum fuerit, *Alexander ab Al: & Vinnius* ad Inſtit. Juris (pag. 144.) nos informant. Intellige, vix niſi Imperatoribus, Regibus, Conſulibus, ac Magiſtratibus, aut aliàs lautioribus; quorum Veſtes, & Juvenum nobiliorum Prætextæ, oſtentatione aliquâ Purpuræ luxuriabant.

§. 16. Hæc, inquam, non minùs in *Imperatorum* Paludamentis, Togâque *Triumfantium*, ut eſt apud *Juvenalem*, quàm Calceis utrorumque fulguravit; utut tales etiam geſtare Mulieribus in uſu fuerit. Deque Purpurâ Militari videri *Meurſius* poteſt, in Mantiſsâ Libri de Luxu Rom. (pag. 28.) de Coccineis verò Imperatorum Calceis videatur *Nigronus* (de Caligâ Veter. pag. 188. ſeq.) ac de Calceis eorundem Purpureis, & Cothurnis, ſimili Fulgore ſuperbientibus, *Balduinus* de Calceo Vet. pag. 94. 151 184.

§. 17. Nec convenientiorem *Regibus* Habitum, quàm Purpureum, tanquam illorum Perſonâ dignũ, *Virgilius* innuit, de *Didone* partim, partim ac aliàs, de Rege *Latino*, canens. Et imprimis Conſulibus ac *Magiſtratibus ſummis* familiarem fuiſſe, *Prudentius* in memoriam revocat; & tropo eleganti jam pridem *Claudianus Ovidiusq;*, Purpuram pro Magiſtratu poſue-

poſuerunt: quale quid ſupra etiam (Annot. 2. §. 3.) monuimus. Neque apud Romanos ſolûm Purpura, Regius Habitus habitus eſt; ſed apud alias Gentes etiam: aut Regum Amicis per ſingularem indulgentiã conceſſus. Cujus rei Exemplum in *Sacris* habemus *Dan.* 5. v. 29 *I. Maccab.* 10. v. 20. Deque purpurato Rege Perſarum, alicubi tractat *Herodotus.*

§. 18. Adhæc apud Romanos *Lecti* quoque Purpurâ inſtrati, ut ex *Claudiano & Martiali* diſcimus. Imò *Faſciæ Puerperiales* penes Illuſtres Perſonas, tinctæ Purpurâ, ut nos docet *Celeb. D. Th. Bartholinus* de Puerper. Vet. pag. 36. Quidque ſit aut fuerit, in Purpuris Imperatorum naſci, *Barthius* adiri poteſt, in Adverſariis, pag. 2383.

§. 19. *Libros* item Purpurâ ornatos, apud *Martialem*, ex Ejus Locis aliquot colligere eſt. Eratque *Encauſtum*, Atramenti genus Purpurei vel atri, quo Imperatores utebantur, Privilegiis & Epiſtolis, vel Decretis ſubſcribendis: quod aliis omnibus, ſub pœnâ Rebellionis, erat prohibitum, ut ex *Pancirollo* refert *Nierembergius* ſæpe citatus, ex *Nicetâ* unam atque alteram Hiſtoriam adducens. Dictæque ſunt Literæ, Pigmento tali ſcriptæ, Literæ Rubricatæ, Literæ Regiæ, Subſcriptio Imperatoris, Divina Manus, Sacra Annotatio, &c.

§. 20. Et *Encauſtum* ipſum, ab Inurendo: (Κάυω Græcè) unde *Uriculum* dici Latinè, *Watſonius* (Theatr. Var. Rer. part. 1. Tit. 2. pag. 3.) memorat. *Encauſticeq;* ipſa Ars, quâ pictura antiquitùs inureretur: cujus Materiam quidem, quomodo hæc pararetur, deſcribit *Nierembergius;* Inurendi Modum verò hodie ignorari, *Ludovicus Demontioſius*, in Erudito de Picturâ Commentario (Architecturæ *Vitruvii* annexo) rectè admonet. Fuitque poſtmodùm *Encauſti* vox latiùs extenſa, ut hodie Atramentum quoque, & omnem liquo-

rem Scriptorium denotet. Unde Encauſtum album, Flavum, Roſeum, Nigrum, &c. apud *Nerum* (de Arte Vitrariâ) deſcribi videas.

§. 21. Nec aliud ſibi vult vox *Inchioſtro* apud Italos, dênotans quidem *Atramentum*, quo communiter ſcribimus; ſed corruptim certisſimè eſt ex *Encauſti* voculâ enatum. Et de *Chalcographorum Encauſto* ſic ſcribit diligentisſimus *Sachſius*: (Ampelogr. lib. 2. ſect. 9. cap. 1. p. 582:) *Refert Baccius, de Vino lib. 1. c. 21. ex Fæce Vini combuſtâ fieri Romæ Encauſti genus, dum exſiccatas Fæcis placentulas comburunt, donec inflammentur in totum, ſubinde in Aquam conjicientes, unde albicantem ſupernè cinerulam abluant; reliquum, exſtincti Carbonis inſtar, contundant, molantq; cum Porphyrite Lapide, ac cum oleo nigrum malaxantes, parent Encauſtum optimum, ad Tabulas æneas exprimendas.*

§. 22. Sed hæc de Encauſto quaſi obiter, occaſione *Purpuræ in Libris*. Imò *Sacro* etiam *Cultu* quaſi affectam Purpuram, licet colligere ex Carmine Veterum; quorum aliqui *Junonem, Venerem* alii, vel ipſam etiam *Proſerpinam* Purpurâ indutam (in Verſu, in quo quidvis licet, quod libet) concelebrarunt. Vel citra Poëma etiam, *Trabéa* (τεαβαία) Veſtis purpurea dicta eſt, quæ vel Diis ſacrabatur; vel Deorum Vicariis placuit; Regibus nempe, ut antè-dictum. De quâ Voce diſtinctiùs agitur in Theſauro Latinitatis, *Clar. Viri, Andr. Reyheri.* Deque *Purpurâ* tam *Mortuorum*, quàm Mortuos *Lugentium*, videri poteſt *Kirchmannus*, de Funeribus Romanorum.

§. 23. Et jàm pro declaratione Expoſitionevè Capitis I. de Purpurâ Autoris noſtri, *Columnæ*, reſtat ampliùs nil, quàm ut *Abuſum* etiam *Purpuræ* aliquem, lineolis duabus

tribus

tribus intimemus. Quem duplicem facio: *Luxurioſum* unum; *Contumelioſum* alterum.

§. 24. *Luxuriantem in Veſtibus Purpuram* omnis Romana nobis abundè ſuppeditat Hiſtoria. Cui alias adde Exemplum illius Divitis apud *Evangeliſtam Lucam*, & ea, quæ hanc in rem doctè affert *Barthius* in Adverſariis, pag. 2521. & pag. 2522.

§. 25. Quantumque ad *Contumeliam*: hâc utique SALVATOREM perſpicuè afficiebant Milites, Purpurâ Ipſum induendo, & malitiosè dicendo: SALVE REX JUDÆORUM.

ANNOTATIO XV.

Ad Cap. XII. §. 5.


De Conchâ Gibboſâ lapideâ, & Buccino lapideo Columnæ.

Breviarium.

§. 1. *A Capite I. Autoris ad XII. cur hîc ſaltus fiat?*
§. 2. *Concha Gibboſa Lapidea* Columnæ.
§. 3. *Tranſitus ad* Ejus *Buccinum lapideum.*
§. 4. *Deſcriptio Ejuſdem.*

§. 1. IN Antecedentium Contextu aliquo jam-dictũ eſt à me, quare minimè opus habeam, ritè ſaltem explicato Primo *Columnæ Noſtri* Capite, tanquam primariò & ex profeſſo agente de Purpurâ, in reliquis explicandis, ſimilem operam navare, tanquam ſecundariò ferè, & occcaſionaliter magis ab *Illo* annexis.

§. 2. Quapropter miſſo Secundo, Tertio, & ſequentibus Capitibus, ad *Duodecimum* ut ſtrictim me convertam, occaſionem mihi dant Verba Capitis ejus terminalia hæc, poſtquam nempe de Conchis Anomiis rarioribus, Vertice Roſtrato, actum fuerat: *Huic ſimilem, majorem multò, Lapideam, depinximus in Primâ Parte, nomine Conchæ Gibboſæ.* Per hanc Primam Partem verò intelligit *Obſervationes Aquatilium & Terreſtrium Rariorum*, ubi Concham iſtam Gibboſam Lapideam deſcribit, ſuâ manu æri inciſam; iconemque ejus affert, hanc, quam Ligno ſculpi dein procuravi:



Verba ipſa verò piget, quod ſimul tranſcribi non curaverim, vel quod tranſcripta perdiderim.

§. 3. Interim invenio, ex Earundem *Obſervationum Capite 22.* Deſcriptionem *Buccini lapidei* me notaſſe. Quæ quidem ad Concham iſtam Gibboſam, utpote Bivalvem, non pertinet; nam *Buccinum* eſt de Genere Univalvium Teſtaceorum: quia tamen & ipſum *Lapideum* dicitur, ab eodemq; *Autore*, rarò in Bibliopoliis reperiundo, deſcribitur, ex quo olim deſcripſimus, quicquid ad Oſtracologicæ ſuæ de Purpuris Doctrinæ partes facere viſum eſt: ideòque Lectori non grave erit,

erit, hæc *Laudati Viri* verba, Annotationi huic inſerta, benignem ferre.

§. 4. Hunc in Modum itaque verba ſonant: *Lævis eſt, oblongaque Teſta, orbibus parum inferiores ſuperantibus, ob illorum rotunditatem, numerum, & parvam incumbentiam: non enim inferiores à ſuperioribus nimis occultantur, ut in aliis obſervatur, quibus non paulatim, ſed ſtatim in acutum deſinunt, ventrioſi cum ſint. Differt ab aliis, quod inferior orbium pars incumbens aliis, limbum exprimit planum, inferiorem Orbem coronantem. Octo definitur anfractibus, ſe in acutum deſinens, brevique roſtro alterâ parte eſt. Marinam huic ſimilem teſtam, ſed non eandem habemus, magis ventrioſam, eodem modo inferiores orbes limbo coronantem, colore vario; cinereoflavente ac albicante, parum oblongiore Roſtro, nec recto. Neapoli frequens in Scopulis: longitudine quatuor pollices æquat.* Hæc *Columna.* Ex Cujus Obſervationibus pluscula alia porrò conferri poterant. Sed eſto tandem hîc

ANNOTATIONUM
In Purpuram Columnianam
FINIS.

NB. Ad replendum vacuum Spacium:

Locus LIBAVII, de FORNACE Purpurariorum, cujus ſuperiùs (Annotat. ad Cap. I. §. 37. & 38.) mentio facta eſt, exſtans Parte I. Com. Alchem. lib. I. cap. 31. pag. 161. ita ſe habet:

REſiſtendum hîc nonnihil eſt, & in officinis Infectorum & eorum, qui colores parant, contemplandum Fornaces

cuniculatas, ſeu in quas per cuniculum agitur calor, aut ignis additur. Plinius lib. 9. cap. 38 ſcribit: *Venam Purpuræ, addito Sale triduo maceratam, fervere in plumbo, modicoque vapore torreri, affuſâ aquâ, & ideo longinquæ fornacis cuniculo.* Quæ ratio hujus fornacis fuerit, inquiſivimus etiam in Epiſtolis, & propoſito balneo & ſicco calore anſam dedimus ingeniis, & cotem porreximus, cui affricta nonnihil acutæ inventionis ederent. Sed relicti hactenus ſumus, cum non libenter ſeſe demittant in Sordidas fornacariæ disciplinæ tenebras, ne quid inquinamenti trahant. Nos ſordidati, atratique jam pluribus furnis, non pigebit denuo perreptare Infectoriam, & reſorptum in os bolum hunc ruminare. Inter omnes fornaces, quarum nobis ſuccurit ſpecies, nullam invenimus aptiorem ad iſtam cuniculatam formam, Acediâ. Revera enim hæc in ſe accenſo ignis calore non fruitur, ſed aliis à latere poſitis miniſtrat, in quas immittit Spiritum calidum, latere pertuſo in cuniculi formam ſucceſſumque. Tales ſanè cuniculos dicimus, cum à latere adiguntur ad aliquid inferendum ſubducendumve cavi, tanquam ab animali cuniculo, vel gliribus facti. Sed cum longinquæ fornacis cuniculum nominet Plinius, oportet nos non tam brevem conſtituere, & labra labris proxime jungere, verum collum quoddam interjicere, per quod labens calor ed cortinam plumbeam perveniat debilior. Id dupliciter fieri poteſt: vel in eodem plano, vel foco inferiore & ſubterraneâ in cryptâ; ſed cortinâ in officinæ pavimento collocatâ.

IN-

INDEX ANNOTATIONUM.

I. *De Fabii Columnæ, Lyncei, Perſonâ ac Scriptis: deq; Academiâ Romanâ Lynceorum, ac hujus Fundatore, Curioſisſimo Principe, Federico Cæſio.* *Pag. 1.*

II. *De Nomine Purpuræ, aliquibus Ambiguitatibus involuto, & plusculis aliis, circa id ſpectandis.* *pag. 5.*

III. *De Oſtro, ejusq; Nomine ac Denominatis.* *pag. 14.*

IV. *De Vocis Conchylii Significatu multiplici, & acceptionibus perplexis.* *pag. 26.*

V. *De Eſſentialibus Purpuræ Differentiis.* *pag. 30.*

VI. *De Gradualibus Purpuræ Differentiis, & Cocco.* *pag. 40.*

VII.

VII. *De Murice.* *pag.*51.
VIII. *De Purpuriſſo & Purpurinâ.p.*54.
IX. *De Teſtâ ac Muricibus Purpuræ: & Operculo ejusdem.* *pag.*60.
X. *De Striis, Teſtulis, ac Fibris, ad Teſtam Purpuræ pertinentib9. p.*71.
XI. *De Ætate, Nutritione, Motu & reliquis Actionibus Purpuræ. p.*80.
XII. *De Carnoſis Purpuræ Partibus, ac reliquis, intra Teſtam contentis.*93.
XIII. *De Actione iterum Purpuræ potiore aliquâ, vel Motu.* *pag.*100.
XIV. *De Purpurariis & Porphyropœiâ, vel Purpurificio.* *pag.*102.
XV. *De Conchâ Gibbosâ Lapideâ, & Buccino Lapideo Columnæ. p.*111.

Doctri-

Doctrinæ de

TESTACEIS,

in Ordinem congruum redactæ

Specimen,

TABULIS ALIQUOT

comprehenſum;

& non minùs connexum cum editis

ANNOTATIONIBUS IN COLUMNAM

DE PURPURA,

quàm cæteroquin inſerviturum facilè

AD CONCHYLIA, ET TESTACEA RELIQUA,

in Conclavibus Principum, ac aliis,

RECTE DISPONENDA,

cum brevi

DICTIONARIO OSTRACOLOGICO,

DE PARTIBUS TESTACEORUM,

Autore J. D. M. Med. D.

Lectori Benevolo.


AD Differentias Teſtaceorum, à Summo aliquo Genere, ad omnium ima exempla, vel Singularia, methodicè ducendas ſic, ut fundamenta diſtinctionum citra ullam interruptionem doctrinæ per meras Dichotomias, expreſſè poſitas, vel facilè eliciendas, procedant, & non facilè poſſit monſtrari Teſtaceum aliquod, cui locus & ſtatio ſua quaſi, jam non ſit intra Methodicam iſtiusmodi Tabulam præſtructa; ad Laborem, inquam, hunc nemo Autorum hucusque, quod ſciam, efficaciâ ullâ Se compoſuit; quod veruntamen non tàm Ignorantiæ illorum, Ignaviævè, quàm mirandæ Conchyliorum, quæ paſſim occurrunt, Varietati, & in varias, Vitæ magis neceſſarias, diſtractis Illorum curis tribuo. Sed, ſi omnes ita cogitare vellemus, quis tandem diſſipatæ in mille lacunas Doctrinæ Oſtracologicæ ferret auxilium, ad quam exornandam non minùs, quàm prædicanda Magnalia DEI cætera, tenemur? Itaque quò indigeſtius hucusque in Libris *Z*oologorum ſelectis, & tantum non Canonicis, ſenſi Chaos, & aliquoties Ipſe etiam (horis vacantibus) ob ſuſcepti ſine ſucceſſu laboris perplexitatem, indignabundè quodammodo à fruſtra quæſito ordine digreſſus ſum: eò fervidiùs mihi ſuccrevit deſiderium, poſt ſæpe mutatas, atque iterum permutatas privatim Teſtaceorum meorum Coordinationes, utut plerumque anteà mihi relinquerent in animo alios aliosq; ſcrupulos; tandem eò penetrandi, ut inexplicabilem hucusque viſam, Teſtaceorum Varietatem, tali includerem Tabulæ, qualem (ob paginarum auguſtiam) in Tabellas plusculas diſcerptam, nunc ſiſto hîc: & ſiſterem certè ſtipatam ſubdiviſionum ſubdiviſionibus pluribus, niſi (nunc quidem) monſtrandi genuinam doctrinæ ſedem, circa Teſtas à Columnâ (lib. d. Purp.) allatas præſertim, potior cura eſſet.

OSTRACOLOGIÆ
in ordinem redactæ
TABULA I.

[*referenda ad Annotat. IX. §.4. in Columnæ Librum de Purpurâ.*]

Teſtæ vox, prout Naturalibus Rebus tribuitur, & inde TESTACEA Animalia, (Græcè ὀστρακόδερμα) dicuntur vel

- 1. Impropriè, de Rebus, ſpectantibus ad
  - Viventia: & ſunt, e. g.
    - *Clypeus Teſtudinis* Marinæ quadrupedis:
    - *Nidus Avium*, ſeu Congelamen durum, Concavum, Tragacanthiforme, marinis Indiæ Scopulis impactum, in Offam, delicatulis Procis deſideratam, reſolubile, Germ. Vogel-Neſt.
    - *Tubuli Vermium*, ex Limo Maris indurato, ſeorſim aut ſuper Coralia, Oſtreas, Conchas, &c. quibus ſuperincreſcunt, exſtantes.
  - non-Viventia:
    - *Teſtacea Petrefacta*: de quibus vid: *Colum. c. 16. §. 5.*
    - *Nuclei Lapidei*, Teſtularum Concavo ſub Terris conformes facti; falsòq; pro Ipſis Teſtis petrefactis habiti. Qualis eſt apud *Col. c. 16. Concha Faſciata, Gemmeâ concretione repleta:* hâc figurâ:



- 2. Propriè: vid. TAB. II.

TAB. II.

[*Referenda ad finem Tab. prioris.*]


Teſtacea propriè dicta, in Genere Animalium,

Pedeſtrium, ſunt; quotquot in Ovis adhuc, putamine duro cinctis, ante excluſionem ſui delitеſcunt. Fœtus nempe

- Avium omnium: (Veſpertilionem ſi exceperis) &
- Quadrupedũ quorundã, e. g. Teſtudinis, Crocodili.

Natatilium, ſunt à Piſcibus, Cruſtatis, & Mollibus diſtincta, omnium famoſiſſimè dicta, TESTACEA, exſtantia vel

- Confuſim: *Teſtacea varii generis, in Maſſam compacta Lapideam* aut Sabuloſam:
- diſtinctim, Generis vel
  - Incerti aut dubii: qualis videtur eſſe *Concha Exotica, Vertice muricatim* (intellige turbinatim) *intorto, Columm. de Purp. cap. 19.* Ex contextu enim *Autoris* præcisè non liquet, Univalvibusnè, an Bivalvibus annumeranda ſit?



  - Certi ac determinati: de quo vid. TAB. III.


TAB. III.

TAB. III.

[*Referenda ad finem Tabulæ præcedentis.*]

Teſtacea Certi generis, dividuntur in

- Univalvia (Μονόθυρα) Orificii
  - liberè patentis in
    - Longitudinem,
      - Παραλλήλως, *Penicilli Marini:* niſi potiùs ad Tubulos Vermium, TAB. I. notatos, pertineant.
      - Pyramidaliter, *Dentalia.*
    - Latitudinem
      - *Lepades* vel *Patellæ,* à patendo dictæ: quæ vel
        - veræ, & κατ᾽ ἐξοχὴν *Lepades* (ſpeciei multiplicis) partim
          - Mediocres: e. g. *Lepas Exotica variegata Columm.* de Purp. c. 6.



          - Parvæ, e. g. *Lepas nova, Myrti Morbus: ibid.*




        - agriæ vel ſylveſtres: *Aures Marinæ:* Fulgore
          - *Opalin-argenteo,* foraminibus pertuſæ, dictæq; *Columnæ, c. 18. §. 3. Aures Veneris:*
          - *nullo,* & fuſcæ potiùs: *Aures Marinæ Bellonii* (lib. 2. Aquat. fin.) niſi potiùs Operculum quodpiam ſint.
      - Concha Natatilis: vid. TAB. IV.
  - Strictioris: vid. TAB. IV.
- & Plurivalvia, (Πολύθυρα) vid. TAB. X.

TAB. IV.


[*refer ad Termiualia Tabulæ prioris.*]

Teſtacea Univalvia, Orificii
- Liberè patentis in
  - Longitudinem } vid. TAB. III.
  - Latitudinem:
    - *Lepades* - - - -
    - *Concha Natatilis* Νηριτώδης *minima, Perſicæ dictæ Recentiorum congener, Columm. de Purp. c. 18.*





- Strictioris: vel
  - Sine Turbine, aut Teſtæ reduplicatione manifeſtâ:
    - *Conchæ Veneris veræ:* quarum multæ differentiæ.
    - *iisdẽ Analoga* quædã, & Turbinatis accedentia vel
      - planè non: e. g. *Concha utroque latere ſe colli- exotica, Columm. c. 20.*



      - quadantenus, h. e. ductæ iutùs Spiræ veſtigium foris aliquod prodentia: *Conchæ & Conchulæ quaſi Conchæ Veneris,* (plerumque albæ.)
  - cum Turbine, aut Volutâ ſpirali manifeſtâ, *Turbinata:* de quibus vid. TAB. V.

TAB. V.

[*refer ad Tabulæ præcedentis ſinem.*]

Turbinata diſtribuenda videntur ſummè, in

Ventre carentia: qualis eſt præſens *Voluta, utrobivis aperta* (lapidea potiùs) *nullibi aliàs deſcripta:*



& Ventrioſa: quorum aliqua Turbinem ſuum

abſorbent, & in ſe convolvuntur, e. g. *Nautilus Indicus major*, margaritali vel opalin-argenteo ſplendore:

manifeſtant, in Teſtæ latere

utroque (ſupernè ac infernè) *Cornicula Lacûs Plœnenſis Holſatica,*

alterutro ſaltem (familiarisſimè) Ventrem gerentia vel

Orbiculatum ac breviorem

Ovalem circiter, ſuperficie externâ

Inæquali: vid. TAB. VI.

Æquali, vel glabrâ.

Cochleatum, & limbotenus præſertim ampliatum: vid. TAB. VII.

Oblongiorem vel Elongatum: vid. TAB. VIII.

TAB. VI.

TAB. VI.

[*refer ad terminalia Tabulæ præcedentis.*]

Turbinata Ventrioſa, Turbinis manifeſti in alterutro Teſtæ latere, Ventris ſui Ovalis Superficiem Inæqualem habentia, protuberant vel in

Apices, aut Proceſſuum exſtantium ſtricturas, formâ

Muricum vel Aculeorum, Muricata,

Simpliciter talia:

Mixtim talia, h. e. vel

Muricato-Striata:

Muricato-Rugoſo-Striata: qualis eſt præſens *Purpura Column, de Purp. cap. I.*



Verrucarum vel Tuberculorum: *Verrucoſa,*

Simpliciter talia:

β.

α. Mix-

α. β.
Mixtim talia: h.e. vel

Verrucoſo - Rugoſo - Striata.
Verrucoſo - Rugoſa:
Verrucoſo - Striata:

Productiones humiliores, per longum latumque Teſtæ protenſas, formâ

Rugarum: *Rugoſa*

Simpliciter:
Mixtim, Rugoſo - Striata.

Striarum, rectâ deorſum, rectavè transverſim, vel obliquè, vel cancellatim, reticulatimvè procedentium; Striata

Simpliciter:
Mixtim; Striato-glabra: aut rectiùs, ſemiſtriata, & reliquam partem glabra vocanda: eaque duplicia: vel

Faſciâ ſpiraliter ambiente cincta:
non-Faſciata.

TAB. VII.

[*Refer ad lin. penult. Tabulæ V.*]

Turbinata Cochleatim, vel limbotenus præſertim ampla & Ventrioſa; aut brevius, *Cochleæ* (tam Marinæ, quàm lacuſtres, & aliæ), ſunt vel Turbine

Compacto, & conſtipatiore: Volutæ Superficie externâ

Inæquali, & protuberante plusminùs in

Apices

Muricum vel Aculeorum: e. g. *Cochlea Seſſilis rubra corniculata, vel 4. proceſſibus repandis, in imo Spiræ ambitu donata.*


Verrucarum, vel Tuberculorum.

Productiones humiliores

Rugarum: *Cochleæ Rugoſæ.*

Striarum: e. g. *Cochlea Marina Exotica marmorea Columnæ, de Purp. c. 10.*





Æquali vel glabrâ.

Distinctiùs emiſſo, & velut per Sulcum ſpiralem profundiùs inſculptum à prioribus dignoſcendæ: limbo Orificii vel

Communi, & nihil extraordinarii habente: iterumque in Superficie externâ vel

Inæquales, protuberantes partim

Apicibus, Aculeatis aut Verrucoſis:

α. | β. | γ.

Pro-

α. β. γ.

Productione humiliore,


Rugarum:

Striarum: e. g. *Cochlea Terreſtris Turbinata & Striata Columna. c. 9.*



Æquales & glabræ.

extraordinario, aut minùs in reliquis uſitato, Elatiore nimirum, & velut in Pinnas vel Aures amplè laxato: qualis eſt *Cochlea Iänthina*, apud *Columnam de Purp. cap. 2.* deſcripta, utpote cujus Teſta tenuis, tribus Volutis Conſtans, Limbo circa Umbilicum effertur admodùm, quod in aliis Cochleis non obſervatur.



TABUL. VIII.

[*Refer ad Tab. V. lineam ultimam.*]

Turbinata Ventris Oblongioris vel Elongati, ſunt accedentia ad formam vel

Triangularem: eamque vel quaſi

Conicam, Apice Turbinis conſtituto in

Summo, (vel ſtricto Teſtæ acumine) e. g. *Turbo Exoticus Umbilicatus Columm. de Purp. c. 3.*



Imo, vel Baſi: *Conchæ multæ Perſicæ,* pulcrè maculatæ, Volutæ Spirâ totâ in planam plusminùs baſin collectâ.

Pyramidalem plusminùs: Ex quibus omnia quidem Apicem clauſum Turbinis in ſummo, Orificiumq; apertum in imo, vel Baſi habent; ſed aliter contrà diſcrepant, ita, ut Orbes eorum convolvantur vel

More Communi Turbinatorum, in ſiniſtram partem: Eaq; tùm


Muricata:

α. β. γ.

Ver-

α. β. γ.

Verrucoſa: quale eſt *Buccinum Exoticum parvum Columnæ, de Purp, c. 5.*



Rugoſa.

Striata: quorſum fortè ſpectabit *Buccinum parvum noſtras,* (h. e. Neapolitanum) *Columnæ, c. 4.* dictum.



Contrario modo, in Dextram: e. g.

Turbines Terreſtres duo, non deſcripti (anteà) monente *Columnâ de Purpurâ,*

Major, cap. 7.



& Minor: ibidem.




Cylindricam: vid. TAB. IX.


TAB. IX.

[*Referenda ad finem præcedentis.*]

Turbinata Cylindrica, Turbine
non prominente multùm, quin compactiore, ſuperficiei externæ
Inæqualis
Rugoſo-Striatæ: e. g. *Concha Natatilis* Νηριτώδης *Columm. de Purp. c. 18. §. 5.*



Striatæ.
Æqualis, vel Glabræ.
diſtinctiùs emiſſo: e. g. *Concha Natatilis* Νηριτώδης *altera Columm. l. d.*



TAB. X.

TAB. X.

[*refer ad Tab. III. & ad Annotat. in Columnæ de Purp. c. XI.*]

Teſtacea Plurivalvia (Πολύθυρα) ſunt vel

Bivalvia (ultra quod Genus, cum Univalvium Genere, Autores vulgò non feruntur) Teſtasque habent vel

Paris Latitudinis, aut ordinariæ Commiſſuræ; dupliciter; Vel enim incruſtantur Teſtâ

determinatò, ac conſtanter in omnibus ſpeciebus,

utrâque Concavâ: Superficiei externæ vel


Exaſperatæ

Muricibus

Simpliciter: *Bivalvia Muricata.*


Mixtim: *Muricato-Striata; qualis eſt Concha Exotica, margine in Mucronem emiſſa, Columnn. de Purp. c. 17.*

α. β. γ. δ. ε. ζ.



α. | β. | γ. | δ. | ε. | ζ.

Verrucis:
Rugis:
Striis: iisque vel
integrè excurrentibus:
rectâ deorſum:
obliquè aut transverſim:
reticulatim.
fractis, & Imbricem velut conſtituentibus vel
Simplicem, e. g. *in Conchâ Striatâ lapideâ imbricatâ Specûs Baumannicæ;* cujus, Saxeo fruſtulo adhuc immerſæ, eſt hæc figura:




duplicem:
triplicem.

α. | β. | γ. | δ. | ε. | ζ.

quadru-

α. | β. | γ. | δ. | ε. | ζ.

quadruplicem: qualis eſſe videtur *Concha* Πολυλεπτογίγγλυμος *Columu. de Purp. cap. 11.*



Glabræ.

concavâ unâ, planâ verò alterâ, *Pectinum Species* quaſi omnes.

indeterminatò ac inconſtanter, nunc cavo-cava, nunc cavo-planâ: *Oſtreæ,* utpote quarum Teſta ſuperior quidem ſemper, aut in omnibus, Concava eſt; inferior non item: quin nunc concava plus minùs, nunc planè etiam Plana. Et inter plurimas Oſtrearum differentias eſt hæc, quod aliæ ſunt magnitudinis

Ordinariæ mediocris; *Oſtreæ Communes,* (quæ volâ, digitis demtis) tegi poſſunt:

α. | β. | γ. *** extra-

α. | β. | γ.

extraordinariæ,

triplo aut quadruplo majores: Tunderenſes (Holſaticæ) quædam: dictæ *Regiæ.*


enormiter magnæ: e. g. *Oſtrea Indica, Gottorpium translata,* 8. pedum in ambitu, pondere 467. librarum; de quâ vid. *Olear. Camer. Got torp. Tab. 29. num. 6.*

Imparis Latitudinis, ita, ut majoris unius vertex ſupereminea t minori alteri, illamq; quaſi in ſe recipiat, dictæ apud *Columnã Anomiæ,* vel irregulares; *de Purp. cap. 12. 13. 14. 15.* Quarum aliæ ſunt Vertice

Imperforato: *Concha Anomia altera Striata* τείλοβος *rarior, Columm. c. 15.*

certò talis

major: talis nempe;




minores ſimiles, Avellanæ nucis magnitudine: *vid. Columm. de Purp. cap. 15. §. 3. ſeq.*

α. | β. | γ.

in

α. | 3. | γ.

incerti utcunque ordinis, *Concha Lapidea Gibboſa Columnæ, Obſerv. Aquatil. & Terreſtr. pag. 52. & Cap. 12. de Purp. §. 5.* Incertum enim, ex effigie, an ad Univalvia, vel Bivalvia, (quod *t*amen veriſimilius) pertineat.




Perforato: *V*aria:

Undoſa ſimpliciter: *Concha Anomia IV. margine Undoſa* Columnæ de Purp. c. 14.

Undoſo-Rugoſa: *Concha Anomia altera, vel Neptunia major imbricata, Columm. c. 13.*


Rugoſo-Striata: *Concha rarior Anomia, vertice roſtrato Columm. c. 12.*



α. | *** z | Stria-


α. β.

Striata: e.g. *Concha altera Anomia Imperati, Columnn. de Purp. cap. 12. §. 5.*



PLURIVALVIA in ſpecie dicta, h.e. Teſtis, duplici pluribus inſtructa: iisque vel

tribus circiter aut quatuor; quò referenda, quæ veniunt nomine *Concharum Anatiferarum:*



pluribus ſæpe etiam: *Balani aut Glandes;* quarum aliæ

Majores, aliæ Minores:

Nudæ, aliæ Arundini, Tignis, Mytulis, aut rebus aliis innatæ.

Sequi-

Sequitur,

Coronidis loco,

DICTIONARIUM OSTRACOLOGICUM,

potisſimas Animalium

TESTACEORUM PARTES


exhibens,

ac olim fuſiùs edendum.

A.

ACulei: Prominentes acuti Proceſſus Teſtarum. *Columna* de Purp. c. 1. §. 21: *Impropriè Buccino Muricis nomen impoſitum videtur, propter Aculeatos ſive Muricatos Orbes & extuberantes, quos habet Purpurarum genus.* Unde patet ſimul, pro Aculeis etiam dici Murices. *Col.* l. d. §. 24: *Aculeis, qui alio nomine Murices vocantur.* Et §. 27: *Aculeis illis, ſive Muricibus longis, caret.* Diverſitas illorum unde ſit, de eo actum vide ſuperiùs, Annotat. X. ad Col. d. Purp. §. 11.

Ambitus: Determinatio Patentioris Teſtæ, aut Limbus extremus. *Columm.* de Purp. cap. 6. §. 1: *Lepas hæc* (Exotica variegata) *magis cava, rotundiore ambitu, nec in angulos deſinens.* Iconemque adducit talem:



Anfractus: communiter Volutæ Spirales Turbinatorum: rectiùs diſtinctiones annuæ, formâ arcûs aut ſemicirculi eminentioris, in Teſtæ Volutâ hinc inde; ortæ ex Limbis ſingulis, qui creſcenti Animalculo quotannis ſuperadduntur, ut ætas illius non obſcurè exin cognoſci poſſit. Dicunturque Anfractus proin, quod juxta longitudinem Teſtæ hinc inde ex Voluminibus Teſtæ eminendo, eandem quaſi infringant, hoc eſt, quoad partes, quæ ſingulis Annis ab Orificio amplo accreverint, diſtingui faciant. Confer etiam Vocem,

Lim-

Limbus. Columna de Purp. cap. I. §. 31: *In exiguis quandoque plures Orbium Anfractus obſervavimus: quos deinde atteri ob tenuitatem, aliis ſupercreſcentibus, cenſemus, ob Animalis Volutationem, & Teſtæ imbecillitatem.* Priori modo tamen *Anfractûs* vocabulum *Autor*, de Purp. cap. 9. §. 1. adhibet, de Cochleâ Terreſtri Turbinatâ loquens: *Quinque conſtat Anfractibus.* Hancque dat imaginem:



Anus: Meatûs Excretorii orificium vel apertura, per quam excrementum ejicitur.

Apertura: Orificium amplum Teſtæ; præſertim Univalvium.

Apex: Terminus Teſtæ in ſtricturam prominens, tàm quoad alterum Extremum, Orificio oppoſitum; poteſtque dici Acuta vel ſtricta Teſtæ Summitas: quàm quoad Latera, Muricibus exaſperata, in Turbinatorum præſertim genere; dicunturq; Aculei.

Appendices: Epiphyſes, (quaſi dicas, Adnaſcentiæ) Adnatæ aut prominulæ partes, tam duræ, ad Teſtam, quàm molles, ad Carnem Animalculi pertinentes. *Columnn.* de Purp. cap. 2. §. 2: *Appendices habet* (Cochlea Iänthina) *binas, quarum altera exterior major,* &c. Icon relata eſt ſub titulum *Glandis.*

Armatura: Cruſta tenuis metallica, fulgore Auri, Orichalci, aut Ferri, in convexo Teſtarum quarundam (lapidearum, ut videntur, conſpicua, ſuperinducta ipſis ex congelamine

mine Halituum ſubterraneorum, reſolutæ cujuspiam Rei metallicæ feracium.

Articulus: Teſtæ Bivalvium ea pars, quâ unâ alteri per modum Ginglymi committitur. Confer titulum, *Ginglymus.*

Aures: Propriè aliàs organum Audiendi. Sed quia Auris humana, & aliorum Animalium, concavo modo ſtructa, foris protuberat; hinc tropicè in Oſtracologiâ Auris dicitur tenuis, brevis, lata, Teſtarum quarundam Epiphyſis: quæ planior eſt in Pectinibus; concava etiam in aliis.

B.

Brachium: in Homine quid ſit, notum. In Piſcium doctrinâ, eorum Pinnæ aliquando Brachia vocantur, ob uſûs ſimilitudinem; inque Phytologiâ, Rami majores Arborum, ob quandam ſimilitudinem Figuræ: In Technicis item Brachia Balliſtarum, ſunt arcuati earum proceſsûs, qui chordâ intensâ adducuntur. Hîc verò Brachia, (aliàs *Cirri*) vocantur Eminentiæ longæ carnoſæ, digitorum more diviſæ, in acutum tendentes, Nautilo, Polypum æmulanti, proprii; interpoſitâ ipſis Membranâ, inſtar Palmipedum.

Byſſum, aut Byſſus: Textura ex Lino vel Serico ſubtilis aliàs; eademque Purpurea, precioſisſimaque olim: in Oſtracologicis verò, ob quandam Coloris æmulationem, Lanugo vel Villi, ex commiſſurâ ſtrictiore Pinnarum (quæ ſunt ſpecies Teſtaceorum Bivalvium) progerminantes, quâ parte Terris infixæ hærent. Et videtur eſſe Muſci purpurei ſpecies aliqua. Confer Vocem, *Fibræ.*

C.

Cacumen: Conſtricta in anguſtum Teſtæ Turbinatæ Summitas. *Columm.* de Purp. cap. 3. §. 1: *Differt* (Turbo Exoticus)

ticus) *quod obtuſius ſit Cacumine, circa medium tenuior; deinde ænea Nolæ effigie in latitudinem ſe diffundens.*

Callus: Duriuſcula portio Carnis Teſtaceorum.

Canales, Canaliculi: Longiuſculi, ſtricti, & concavi Proceſſus Teſtarum, *Tubuli* aliàs; de quibus ſuo loco vide.

Caput: (1.) Anterior pars Carnoſæ Cochlearum, Turbinatorumque aliorum Subſtantiæ, quâ lambendo corpora alia, in eorum ſuperficie ſe firmant, loco per eandem moventur, & poſt leves attactus extraneos, nunc retrahunt ſe intra Teſtam, nunc iterum ſe proferunt. (2.) Summitas anguſta teſtæ. *Columm.* de Purp. cap. 15. §. 1: *Alterâ parte, quâ Valvæ in caput prominet.*

Cardines: Concavo-convexæ Bivalvium Portiones, in parte craſſiore Concharum ſuarum, quâ conjunguntur, & mutuò ſibi inarticulantur, more Cardinum, in Januâ Ædificii. Conferatur *Ginglymus*. *Columm.* de Purp. cap. 11. §. 1: *Pluribus hæc Teſta* (Conchæ πολυλεπτογιγγλύμου) *notis ab aliis Conchis differt, propriamq; habet notam, innumeram Seriem exiguorum Cardinum, rectâ per obliquum lineâ, & admodùm longâ, Teſtæ connexum, efficientium.*

Caro: In genere, omnis mollior Subſtantia Teſtacei Animalis, quæ teſtæ includitur; in ſpecie verò fibroſo-fungoſa, ſucci ſalſuginei, Ventremque ſolventis plena, diſtincta à partibus itidem mollibus quidem, ſed Venoſis aut Nerveis, aut etiam excrementitii quid exhibentibus. Hæc Caro (ſpecialiter ſumta) ſicut Colore variat; ita *Flavicans & maculata Purpuræ* eſt, teſte *Columnâ* de Purp. cap. 1. §. 33.

Cervix: In Homine, Colli pars poſterior. In Turbinatis, Dorſum veluti Carnoſæ partis, extra Teſtam prominentis proximè poſt Cornua. *Columm.* de Purp. cap. 4. §. 1: *Cervix*

(Buccino parvo) *craſſa eſt, lata; in cujus lateribus cornicula.* Imò in Teſtâ Bivalvium idem, quod productio ejus longiuſcula, circa locum commiſſuræ vel cardinis. Ita enim *Columm.* c. 12. §. 3. de Conchâ rariore Anomiâ: *Collum, Cervicemque totam, quæ longior eſt, atque acutior, prominetque, ſupra cervicem alterius diffundit, ut infra illius Collum, altera Cervix connectatur.* Icon ex *Autore* ſub Vocem, *Vertex,* inferiùs relata eſt. *Idem,* in fine Cap. 14. *Omnes* (Conchæ Anomiæ) *cervicem habent perforatam.*

Circuitio: vid. *Voluta.*

Cirri: In Homine, Capilli inordinatè aut negligenter contorti. In Nautilo, Eminentiæ longæ carnoſæ, quibus expanſis, Membranaque interpoſitâ ſuccinctis, inter navigandum ſive pro Velo, ſive pro Gubernaculo utitur. Confer *Brachia.*

Clathrum: Opus cancellatum naturæ, quo Lineæ Teſtarum reticulatim componuntur. *Columm.* de Purp. c. 10. §. 4. *Quæ* (Teſta Cochleæ Marinæ Exoticæ) *Clathrata Lineis erat per rectum & obliquum.*

Clavi: Muricum, vel Concharum aculeatarum cuſpides, longitudine diſpares. *Columm.* de Purp. cap. 1. §. 27: *Non omnes illius generis Teſtæ, longioribus Clavis horridæ obſervantur; ſed brevibus admodùm Tuberculis.* Inde *Claviculati Orbes* Eidem (ibid. §. 31.) id eſt, Aculeis armati.

Cochlea: in modum Partis (durioris, à carnibus diſtinctæ) ſumta, eſt Teſta Turbinata, ampli brevisque Ventris, Orificio patentiore, Turbine in ſeipſum reducto potiùs, quàm longiùs emiſſo. *Columm.* de Purp. cap. 10. §. 1: *In anteriore & rotundâ parte Cochleæ, obſervantur denticuli plures* (in Cochleâ Marinâ Exoticâ Marmoreâ.)

Collum:

Collum: in Homine Pars, inter Caput ejus, Truncumque ſita. Pro quo Capite dum anterior carnoſa Teſtaceorum portio ſumitur, reliqua proximè huic ſuccedens, etiamſi & ipſa Osſibus, Tendinibus, Muſculis, & Vaſis amplæ Cavitatis deſtituta ſit; ob analogiam tamen Connexionis, Collum appellatur. In Teſtâ item, longiuſcula productio Commiſſuræ. *Columm.* de Purp. c. 12. p. 3: *Altera Conchæ* (Anomiæ) *pars oblongior eſt, Collum ſuper cervicem alterius diffundit.*


Columella: tanquam parva Columna; Firmamentum medium, & velut Axis Teſtæ turbinatæ, circa quem Orbes, vel Spiræ Circuitus convolvuntur, reſpondens in Architecturâ Scapo longo Scalæ Cochlearis, cui gradus ſinguli, ſpirali ordine infixi hærent. *Columm.* de purp. cap. 10. §. 1: *Hiatus* (Cochleæ Marinæ Exoticæ Marmoreæ) *non rotundus; nec à Columellâ, ut in aliis, definitur;* & cap. 18. fin: *Lunatæ ſunt in extremo Columellæ ad Linguæ uſum.*

Concha: in modum Partis ſumta, idem quod durior Teſtacei Animalis Pars; nimirum Teſta. *Columm.* de Purp. cap. 1. §. 4. ex Plinio: *Veſcuntur Conchyliorum carnes, quorum Conchas complexu Crinium frangunt.* Et §. 14. ex Eodem: *Conchyliorum firmisſimas Conchas.*

Cor: Purpuræ Cor idem cum Hepate aut Papavere ejus eſſe ſtatuitur, ut ex *Annotat.* 12. §. 18. patet.

Corniculum: tanquam parvum Cornu; Proceſſus nempe in Turbinatis, (præſertim de Cochlearum genere) geminus, vel Prominentia carnoſa, mollis, teres, antrorſùm ſita, retractilis iterum ad levem contactum, dum obvium quidvis facilè, tanquam digitis palpant; Oculoque, ut videtur, ſupernè aut in medio inſignita. *Columm.* de Purp. cap. 1. §. 33: *Hujus quidem* (Purpuræ Cornicula) *in acutum deſinunt; &*

Oculi non in ſummo, ut in Terreſtribus (Cochleis) *ſed ſupra medium Corniculorum obſervantur, ubi Cornicula veluti reſecta, per longum tenuiora efficiuntur.* Et cap. 4. §. 1: *In cujus* (Cervicis, Buccini parvi) *lateribus, Cornicula, ut in Purpurâ diximus, in medio veluti reſecta, in quibus Oculi &c.* Vel etiam, niſi planè Proceſſus hos retrahant Purpuræ, occaſione datâ ſibi cujuſpiam offendiculi; ſpontè interdum eoſdem, ob alium finem, leniter incurvant: ad Oculos, in medio ſitos, protegendos videlicet. Ita enim *Autor* noſter, de Purp. c. 1. §. 33: *Oculos verò aliquando tueri Corniculis, ſupra illos incurvatis, ut in picturâ notatur, obſervavimus.*



Cornua: Cochlearum generi ferè propria, ut modò de Corniculis eſt dictum. *Doctiſſimus Schwammerdammius* videtur

detur ſtatuere, Cochleas terreſtres minores (quales in Holſatiâ etiam perfrequentes ſunt) cornuum iſtorum commiſſu, coire: & lacteum Liquorem ex eorundem cuſpidibus ſponte exſudare Cochleas Vinearum edules, tempore Veris, obſervavit aliquando, mihique retulit *Dn. D. Sebaldus Scholtz*, Medicus Vratislavienſis.

Cortex: Cruſta limoſa indurata, Teſtis externè innata, diverſi in diverſis Teſtaceis Coloris; quem genuinum eorum non eſſe, ſed ſub eo latere alium, plerumque ſplendoris opalini, jam ſupra dixi, (*Annotat.* IX. §. 7.) *Columm.* de Purp. c. 1. §. 27: *Cortice rugoſiore, colore fuſco aut cinericeo, velut Limo obducto.* Et cap. 3. §. 2: *Cortex ſuperior* (Turbinis Exotici) *rugoſus, candicans, ad pallidum vergens, maculis variegatus*, &c. Confer, *Cruſta.*

Crinis: in Homine quid notet, notum. In Hiſtoriâ Oſtracologicâ verò notantur hac voce cumprimis duo: (1.) Fibræ muſcoſæ & purpuraſcentes, Oſtreis adnatæ, illaque, tanquam Lanugo quæpiam, ambientes. (2.) Fibræ nervoſæ Polyporum. *Columm.* de Purp. c. 1. §. 4. ex Plinio: *Veſcuntur Conchyliorum carnes, quorum Conchas complexu Crinium frangunt.*

Cruſta: duo ſignificat hic loci; (1.) *Corticem* paulò-ante-dictum, ſeu limoſas Maris Sordes concretas in Teſtarum ſuperficie, firmiterque adeò iisdem inſidentes, ut non tàm limâ ubivis aufferri poſſint, quàm merſione in liquoribus acidis & corroſivis, blandovè horum illitu opus ſit, ſiquidem nativus politusque Teſtæ color, ſubtus absconditus, effulgere debeat. (2.) *Opercula*, Turbinatorum orificiis transverſim innata, ſub quibus Carnes eorum per hyemem deliteſcunt. Vide *Operculum.* (3.) *Corticem Semilapideum* in Conchâ Lapideâ,

pideâ, *Columm.* de Purp. c.16. §.3: qui ait: *Tota terreâ Cruſta, & veluti ſordida, Colore Ochræ foris eſt.* &c.


Cuticula. Quo reſpectu *Perlis* vel *Margaritis* tribuatur in ipſarum geneſi, pulcer & notatu dignus locus eſt *Anſelmi Boetii* lib. 2. de Lapid. & Gemm. cap. 37. (pag. 167. 168:) ubi hæc ſcribit: *Ex Conchis Margaritas exemi complures, ac deprehendi, in Animalis corpore naſci ex eo Humore, ex quo Teſta Conchæ excreſcit. Humor enim ille, Teſtæ adhærens, quia ex terreo viſcoſo, ac exactè in minima (ab Aqueo Animalis humore) reſoluto conſtat, ſicceſcit paulatim, & induratur, ac certo tantùm tempore, non ſemper, ab Animali pro Teſtæ fabricâ eructatur. Hinc fit, Conchas multiplici conſtare Cute, dum poſterior exſiccatur, priusquam nova adjiciatur. Dum humor ille ab Animali morboſo eructari & expelli non poteſt, ac in Corpore hæret, detineturque, ſi ibidem exſiccetur, rudimentum atque initium fit Margaritæ; quæ adjecto ſæpius novo humore, eoque exſiccato, cute ſubinde novâ augetur, ac in Unionem abit, non ſecus, quàm in Fellis Veſiculâ, & Urinæ Veſicâ lapides generantur. Quorum materia, quæ per Urinam expellitur, dum in Corpore Veſicæ detinetur, ibidem exſiccatur, & in lapidem abit. Hoc modo Bezoar in Capris Indicis, multis Cuticulis generatur.*

D

Dentes Denticuli: (1.) Spinoſæ Teſtarum eminentiæ; breves præſertim, & æquali longavè ſerie, in Ambitu illarum poſitæ. *Columm.* de Purp: cap. 15. §. 1: *Et ſenis ſtriis, totidemque ſtrigibus in ſingulis Lobis, quibus margines denticulatæ fiunt, inſecta* (Concha Anomia, τρίλοβος dicta.) Icon reducta habetur ad Vocem, *Striges.* (2.) Eminentiæ intimiores quædam, acutæ, rugoſæ, humiles, ubi ſcil. Teſta aliqua (Turbinata

præſer-

præſertim) ex ampliore Ventre ſtrictior redditur, & in Roſtrum acutius anguſtatur, ut inde quaſi Plicæ quædam breves reſultent, acutangulæ, quæ *Dentes* ſimilitudine quadam appellantur. Vel breviùs: Crenæ acutiùs prominentes in Aperturis Teſtarum quarundam; ut videmus in Conchâ Venereâ; nec non in Cochleâ Marinâ Exoticâ Marmoreâ apud *Columnam* de Purp. c. 10. §. 1. dum ait: *In anteriore & rotundâ parte Cochleæ, parum infra extremum, obſervantur Denticuli plures elati.* Et hanc Iconem addit:



Dorſum: (1.) Pars Teſtæ maximè eminens in Convexo ejus; tam Univalvium, quàm Bivalvium. (2.) Pars ſuperior carnis, ad Caput Purpuræ, ac Turbinatorum aliorum pertinens, inter Cornicula ac Teſtam.

E.

Echinus, Echini: Superficies Teſtæ, Aculeis pluribus exaſperata. Vel & Aculei ipſi.

Excrementum: Humor craſſus, Fœculentus, qui poſt Alimenti digeſtionem, ut inutile quid, per Meatum peculiarem ejicitur.

Excretorius Meatus; Pars concava intra Carnem, quâ Excrementum egeritur.

Exochæ: Striæ Eminentes. ἐξοχὴ, Eminentia, Acies. Unde vulgatum illud, καθ' ἐξοχὴν, per excellentiam: inque

Archi-

Architectonicis Pars ædificii quædam, quæ protuberat, Exocha dicitur.

F.

Faſciæ: Eminentiores, aut etiam depreſſiores partes Teſtæ, disparis latitudinis, imò vel Maculæ ſaltem etiam, obliquo longo ductu illam ambientes vel integrè, vel interruptim. *Column.* de Purp. c. 1. §. 27: *Et Faſciis diſtincta obliquè Purpuraſcentibus.*

Fauces: (1.) Ingreſſus in concavam partem Teſtæ, vel Orificium ejus, præſertim in Turbinatis, per quod Carnea Animalis Moles ſe foras proſerit. (2.) Foramen rotundum Limbi carnei, quo alimentum de Scopulis ſuctum, in Ventriculum demittitur; de quo vide ſuprà, *Annotat.* 12. §. 7.

Fibræ: Stamina minuta, competentia Teſtis tum per ſe, tum per ſe, accidens magis, quod foris ſaltem adnaſcantur. *Per ſe;* intelliguntur Teſtarum Stamina radicalia, ex quibus Teſtulæ, & ex his Teſta demùm contexitur, ad mentem *Stenonis*, ſuprà, (Annotat. X. §. 7. & ſeq.) expoſitam. *Per accidens;* Villi, ſeu germina muſcoſa, Crinis aut Lanuginis inſtar, Oſtreis obnaſcentia; quæ proin optimæ cenſentur: ut & Venetiis in Chamis plurimis obſervavi, multas earum, eodem Muſco villoſo cohærere, tanquam junctim hac ratione nidificaſſent. Inque Pinnis præcipuè Stamina talismodi progerminant; quæ peculiariter *Byſſus* appellantur. Vide etiam ſupra, ſub literâ B.

Fimbria: Pars Teſtaceorum, oblongè-turgidula aut eminens utcunque (ſicut Fimbria in Veſte) ultra ſuperficiem reliquam ſeu Teſtæ, ſeu Carnis. *Teſtæ* quidem, e.g. in Conchis Venereis pluſculis: *Carnis* verò, e.g. in genere Lepadum,

dum, quæ Carnoſam emittunt, extra Teſtæ ſuæ ambitum, Corporis ſui Fimbriam, eamque expandunt, cum Saxis hærent; ſolutæ verò eandem iterum retrahunt.

Fiſtulæ: Tubuli. Fiſtuloſæ, h.e. eminentes, ac intùs cavæ Striæ, e.g. in Conchâ Exoticâ *Columnæ* de Purp. cap. 17.

Flos Purpuræ: vide *Sanguis.*


Foramina: Lacunæ, inania ſpacia; quæ propriè non videntur, quoniam Privationem ſolam conſpicui Corporis in Spacio aliquo, denotant, ſicut Tenebræ non videntur, nec Silentium auditur, nec Inſipida guſtantur. Ad exprimendam tamen Orarum, Marginum, aut Limborum amplitudinem, quibus Lacuna talismodi intereſt, Foramen ipſum quoque, vel Vacuitas, conſuetudine aut opinione quadam videri exiſtimatur. Et ſic Foraminibus pertuſæ, magnis, parvis, pluribus, paucis, aut uno, rotundis, angularibus, ſimplici, aut multiplici ſerie, vel inordinatè etiam, poſitis, ſuperficialibus, aut Teſtam penetrantibus, conſpicuæ ſunt Teſtæ multæ: partim *in Vertice,* ut Lepas Sylveſtris apud *Column.* de Purp. cap. 12. §. 5. Conchæ Anomiæ Vertice Roſtrato, *Ejusdem,* cap. 12: partim in *Strigibus*, vel Striis eminentibus fiſtuloſis, e.g. Conchæ Exoticæ, quam cap. 17. deſcribit: partim *in Cardine,* ut in eâdem apparet: partim in *Ambitu intriore*, ut in Aure Marinà, de quâ hanc in rem vide *Col.* cap. 11. §. 5.

G.

Ginglymus: (Cardo veluti Januæ,) Modus Conjunctionis duarum Teſtarum, ut invicem ſe ſubintrent. Inque Oſteologiam Medicam præcipuè terminus hic transſumtus eſt. De Conchâ πολυλεπτογιγγλύμῳ vide *Column.* de Purp. Cap. II.

***** *Glans:*

Glans: Extrema pars Carnis, in longum emiſſæ, inſtar Penis, rimamque habens in medio, ut videtur in Cochleâ Iänthinâ *Columnæ* de Purp. cap. 2. §. 2. cujus hæc eſt Icon:



Gomphoſis: à voce γόμφος, Clavus vel Cuneus. Incuneatio itaque, vel modus Conjunctionis Bivalvium, ſicut Dentes Maxillæ humanæ, vel Clavi aſſeribus aut Parieti infiguntur. *Wormius* lib. 3. Muſ. cap. 7. pag. 254. *In Chamâ Peloride, ambæ Conchæ per validam Gomphoſin in medio nectuntur.*

H.

Helices: Circumvolutiones, Spiræ, Vertigines. Confer, *Volutæ.*

Hepar: De hepate Purpuræ, vid. *Annotat.* 12. §. 18.


Hiatus: Apertura Limborum mutuò ſibi occurrentium, in Bivalvibus. Item Orificium exterius in Cochleis, ac Univalvibus aliis. *Columm.* de Purp. cap. 10. §. 1: *Variat hæc* (Cochlea Marina Exotica marmorea) *à maritimis noſtratibus, craſſitie Teſtæ, atque Hiatu, qui non rotundus, &c.* Et cap. 18. §. 1. de Conchâ Natatili Neritode minimâ: *Colore ex pullo candicans, amplo admodum Hiatu, ut intra ſe Turbinem colligat.*

Humor: i. e. Sanguis Purpuræ. *Columm.* de Purp. cap. 1. §. 23. ex Iſidoro: *Ex quibus Purpura tingitur, & inde Oſtrum appel-*


appellatum. Quod appellatum, quod hæc Tinctura ex Teſtâ Humore elicitur.

I.

Imbrices: in Architecturâ propriè Tegulæ cavæ Tectorum, ſic dictæ, quod Imbrem exceptum, deſuper transmittant; vel integræ ſeries coordinatæ Tegularum ejusmodi, aut Tectum ipſum. In Oſtracologicis, Striæ eminentes aut Rugæ, in ſuo decurſu fractæ, & conjunctim incedentes hoc pacto per Teſtæ Obliquum, Imbricem velut conſtituentes, e. g. in Conchâ πολυλεπτογιγγλύμῳ *Columnæ* de Purp. c. 11. §. 3: cujus Teſtacei Concha *Obliquis denſioribus Rugis exaſperata* (eſt.) *ut Imbricata etiam dici poſſit;* cujus Icon hæc habetur:



In Conchâ item Neptuniâ majore *Ejuſdem*, cap. 13. quam Imbricatam peculiariter nominat: in Pectunculis: & in Conchâ Striatâ lapideâ Specûs Baumannicæ, quam in Tabulâ 10. Oſtracologicâ adduximus; hanc nimirum:



Inteſtinum: Canalis ſtrictus, mollis, oblongus, pro transitu Excrementi, ex Alimentis reſidui. *Simplex in Turbinatis continuo ductu fertur à gulâ ac Ventre, in ſinu verticoſo Teſtæ. Inde reciprocans, ſurſum adſcendit ad Carnoſas partes, & circa Caput terminatur, quâ emittitur Excrementum:* ſunt verba *Jonſtoni* de Aqualit. Exſangu. Tit. 1. p. 38. b.

L.

Labra; Oræ extremæ, aut Limbi Teſtæ. *Worm.* lib. 3. Muſ. c. 7. p. 254. de Chamis Piperatis: *Labra non habent crenata, ſed lævia; magisque in rotunditatis ambitum circinantur Tellinis.*

Lac; Liquor Teſtaceorum multiplicativus, aut Semen, formâ Spumei Spermatis. *Worm.* ibid.

Lacryma: i. e. Sanguis. *Columna.* de Purp. c. 1. §. 23. ex Iſidoro: *Quod circumciſa ferro Lacrymas coloris purpurei emittat, ex quibus Purpura tingitur.*

Lanugo:

Lanugo: Fibræ collectæ & criſpatæ tenues plurimæ, in aliquâ (convexâ) Teſtarum parte. Confer, *Villi.*

Lapillus: Calculus. Margaritiforme Coagulum durum, foris ſplendens: *Phile* de Propr. Animal. cap. 88:

Pinnæ quod humidum effluit de Viſcere,
Qui fulgur æquet, fit Lapillus lucidus,
Sed Unionis induit tandem jubar.

Lentor: Viſcidus ſalivalis humor. *Columm.* de Purp. c. 1. §. 20. ex Plinio: *Mutuoq; attritu Lentorem cujusdam Ceræ ſalivant ſimili modo, ac Murices.*

Limbus: Quævis Ora, vel Determinatio ſtrictior, ac longiùs protracta Subſtantiæ Teſtaceorum tàm duræ, quàm mollioris. Ex quibus quod attinet ad

{ *Duriorem,* ac verè Teſtaceam; in *Limbis Teſtæ* ſpectatur eorum tùm

{ *Magnitudo,* quotannis incrementa ſumens. Quod intelligendum eſſe, per Longitudinem Volutæ (à ſummo apice ductam, ad Orificium) non verò in Latitudinem, vel quoad transverſales ductus Volutæ aut Spiræ, & exin menſuram Ætatis quodammodo capi poſſe, patet ex his verbis *Columnæ* de Purp. cap. 1. §. 29: *Nos autem, quot habent diſtinctiones in Volutis, quæ ab antiquioribus Oris, ſive Canalis ad Linguæ uſum Extuberantiis, ortum ducunt per longum Volutarum, tot annos habere, certiorem notam eſſe putamus.*

Situs, { *ab Umbilico incipiens,* Animalculoque prorepenti conveniens, juxta verba hæc *Columnæ* (Præfat. ad Lect.) *Commune habent Turbina-*

α. β.

| α. | β.

ta omnia, quod Limbo ſint prædita quodammodo ſimili, quo gradiuntur, ſive repunt. Cujusmodi *Limbus* in aliquibus Teſtaceis eſt

Elatior, ut in Cochleâ Iänthinâ: de quâ *Columm.* de Purp. cap. 2. §. 4: *Limbo circa Umbilicum elato admodùm, quod nec in aliis Cochleis obſervatur.*

Depreſſior, caſtigatiorque; in reliquis ferè omnibus.

Externè ad Superficiem Volutæ ſpectans, & quaſi Faſciola, illam ambiens. Ita enim *Autor* noſter c. 3. §. 3: *Quinque Voluminibus* (Turbo Exoticus) *definitur, inter quæ veluti Limbus apparet.* Iconem confer huc, relatam ſub voce *Umbilicus*.

Molliorem, vel Subſtantiæ carnoſæ; per eum intelligitur Ambitus anterioris partis Carnis, quam Turbinata inter rependum expandunt vel extendunt, dein contrahunt, atque iterum in Latitudinem producunt. Unde *Columm.* de ſuâ Purpurâ, cap. I. §. 34: *Corpus protrahens, iterumque Limbum producens, quem latum habet.* Intellige, Antrorsùm. Retrorſum enim moles carnea, quam Turbinata è Teſtis ſuis protrahunt, ſemper aut plerumque ſtrictior eſt; & quidem obtuſa in fine. In aliquibus tamen forſan etiam biſulca, ut in Buccino parvo; De quo ſic ait *Columna* de Purp. cap. 4. §. 1. *Limbo, ut Cochleæ, graditur lato, in extremâ poſte-*

poſteriore parte biſulco, veluti Inſectum, caudato. Et Figuram hanc adducit:




Lineæ: (1.) i. e. Maculæ ſtrictiores, longæ, aut Inſcriptiones virgatæ, (in Teſtarum convexo præcipuè) longiùs productæ; rectæ, aut undoſæ; *Columm.* de Purp. cap. 11. §. 3. *Lineis undoſis ſculpta;* elatæ, aut depresſiores;

- tam Simplices
  - ejusdem generis; Candicantes, flavæ, rubræ, &c.
  - diverſi generis; variegatæ. *Columm.* cap. 4 §. 2: *Reliqum Teſtæ,* (Buccini parvi) *variegatum, undoſis candicantibus parum Lineis.*
- quàm mixtæ; *Clathratæ* per rectum & obliquum, ut loquitur *Idem:* cap. 10. §. 4.

(2.) i. e. Ipſæmet Striæ, utcunque prominulæ, Teſtamque exaſperantes: *Idem* cap. 5. §. 1: (Buccinum Exoticum parvum)

vum) *Tuberculis nigro-flaventibus, & Lineis elatis candida Teſta exornatur.* Icon eſt talis:



Lingua: in Homine, Caro media Faucium, articulandæ vocis, guſtûsque obtinendi organum; Geographis, Sinus, vel anguſtior Maris pars, oblongè inter Continentis flexus concavos anguſtiores excurrens; Mechanicis, pars Vectis anterior, obtusè aut ſubrotundè formata. In hâc Oſtracologiæ parte autem, portio Carnis longa Stricta, intus concava vel canaliculata, ex ſede faucium emergens, Aquæ hauriendæ & reddendæ inſerviens, tam in *Purpuris*, quàm *Buccini* ſpecie. De *Purpurâ* enim hæc habet *Autor* noſter, cap. I. §. 4. & 25. ex Plinio: *Lingua Purpuræ, digitali longitudine, quâ paſcitur, perforando reliqua Conchylia.* Quæ Perforatio quomodo capienda ſit, ne in Regulas Mechanicæ impingamus, perſpicuè jam ſupra (*Annotat. 12. §. 11. ſeq.*) dictum eſt. Et de hydraulico potiùs Linguæ uſu, vide *Columnam* cap. 1. §. 34. De *Buccino Parvo* autem, cujus Iconem etiam (cap. 4.


§. 1.) dat, hîc loci paulò antè allatam, ſub Voce *Limbi*, hunc in modum ſcribit: *Linguam habet, longam admodùm, canaliculatam, ex quâ Aquam hauſtam exſpuit: & cum graditur, elatam gerit, & incurvam ex adverſo.* Alia demum etiam eſt Vocis *Linguæ* acceptio, ut pro Foſſili quodam, Inſulæ Maltæ ferè proprio, ſumatur, quod *Gloſſopetra*, vel *Petrogloſſum*, Græcè effertur; & quia *S. Paulus* Serpentem ibi inIgnem projecit. hodièque nulli Serpentes in Inſulâ iſtâ verſari perhibentur, quod *Divus Apoſtolus* facto illo indignabundus maledixerit Serpentibus reliquis omnibus, illosque fulmine Banni procul inde fugaverit; vulgaris opinio, acutos illos, glabros, bilateres lapillos, diverſæ magnitudinis, ex Terrâ alba, quæ in Trochiſcos formatur, natos, latioreq; ſuâ Baſi plerumq; eidem infixos, LINGUAS SERPENTUM nominat; utut Viperarum Linguis tam ſimiles ſint, quàm Ovum Anſeris, Cornubus Venatorum. Lapideas tamen, & alterius naturæ eſſe, quàm oſſeæ, *Columna noſter* negat, in peculiari *de Gloſſopetris Diſſertatione.* Quam, cum Caput ultimũ eſſe voluerit Tractatûs ſui de Purpurâ, tanquam Appendicem laudati Opuſculi; & verò *Gloſſopetræ*, ſive Petrefactum quid ſint, ſive ſaltem Oſſeum, ad Rictum dentatum Carchariæ Canis ſpectans, placuit Doctrinam eam, tanquam cum Purpurâ & Teſtaceis reliquis parum connexam, planè divellere, & ſub præſentem, *de Linguâ*, Lexici hujus portiunculam, referre. Sicq; ſuam *Autor* Diſſertationem inſcribit:

FABII COLUMNÆ LYNCEI
De Gloſſopetris Diſſertatio:

QUâ oſtenditur, Meliten ſes Linguas Serpentinas, ſive Gloſſopetras dictas, non eſſe Lapideas, ut quidam aſſerunt; ſed oſſe-

as, & Carchariæ, Lamiæ, ſive Canicularum, & ſimilium dentes, Maris æſtu olim Terrâ tenui & lutosâ obrutos. Plurima interim de Figuris Lapidum, Oſſium Geniturâ, Gigantum Buſtis, ac Oſſibus, Maris & Terræ Mutationibus, Teſtis Saxo incluſis, adducuntur ac exponuntur. Lapideorum Fungorum natura declaratur, & nova Species proponitur.

Hic verò, qui nunc ſequitur, eſt ipſe Contextus Opuſculi, de verbo ad verbum; cui *Columna* Figuras has præfigit:



Nituntur quidam arcanis Naturæ in medium adductis omni reſponſione ſeclusâ, Linguas ſerpentinas, aut Gloſſopetras, (ſic illas appellant recentiores) quia non ſolùm locis mari propinquis & inſulis, ſed etiam longè diſſitis copiosè reperiri traduntur, ab ipsâ formatrice Naturâ ſic genitas; atque lapideas eſſe: vel qui dentes eſſe dicunt, non Carchariæ, Lamiæ, Malthæ, aut ejusdem generis Cetaceorum, ſed illis ſimiles ſpontè ſic ortos; quin etiam id tantùm Naturam produxiſſe eo loci, quod ratione materiei

aptum

aptum erat ad formam illam recipiendam affirmant. Hôc argumento in dubium revocare videntur, an unquam locis illis mare fuerit, quod probatisſimi antiquiores Philoſophi, & Hiſtorici affirmarunt. Nos quidem dicimus, hujusmodi concretionem non eſſe lapideam, ex ipſo aſpectu, effigie rei, & totâ ſubſtantiâ: at neminem cenſemus tam crassâ minervâ natum, qui ſtatim primo intuitu non affirmârit, dentes eſſe oſſeos, non lapideos. Sed præter aſpectum omnia, quæ ligneam, oſſeam, & carneam naturam habent, uſtione in carbonem priùs abeunt, quàm in calcem, aut cinerem. Ea verò, quæ tophacea, vel ſaxea ſunt naturâ, non in carbonem, ſed in calcem abire, niſi liquentur propter vitream, aut metallicam mixtionem. Cùm igitur dentes hi ſtatim aſſati transeant in carbonem, & tophus adhærens minimè, clarum, erit, oſſeos eſſe dentes, non lapideos. Addenda eſt fibroſa intùs compactio, & poroſa, & externus lævor ab internâ materiâ varius, & exacta dentium effigies Lamiarum cum ipſâ radice, quæ omnia oſſeam naturam declarant. Nullus quidem lapis, aut gemma, quod viderimus, lævi ſuperficie, & figurata naturaliter reperitur, niſi Cryſtallinæ, & ſimiles concretiones, quæ nitri, aut ſalis modo ſint concreta, quarum effigies anguloſæ caſuales ex naturâ ſucci, non ad idem figurandum tendentes, ut ſunt hujusmodi dentium figuræ, ad quas exactè perficiendas Naturæ conatus obſervatur. Nec ut de Cryſtallinis & nitroſis quibus evenit anguloſa ſuperficies in ipsâ humoris contractione, ita dici poteſt de his dentibus, atque ab initiô eadem magnitudine ſic fuiſſe procreatos, quâ effodiuntur: nam dentibus his incrementum ex radice ipſa, non coagulatione humoris in corpus ſolidum, ſed per foris emisſionem, & vegetam naturam accesſiſſe paulatim videretur dicendum, quemadmodum in

 Anima-

Animalium dentibus, cornibus, & unguibus obſervatur, quæ omnia ab radice, & ex auctivo excrementô magnitudinem aſſequuntur longo temporis intervallo intercedente. Secùs verò in lapideis, Cryſtallinis, & nitroſis rebus, quibus in ipſa concretione perficitur magnitudo, & effigies: & hoc dato, quod dentes hi dicantur ſimiles, (non ex Lamiarum maxillis detritis reliquiæ, ut verè ſunt) quod expreſsè negatur. Nec etiam unquam obſervatum eſt, inter ſubterranea, & foſſilia, oſſeâ ſpecie individuum aliquod naturam abdidiſſe, quod ſponte vigeret, niſi ex cadaveribus, ut ſunt dentes hi, oſſa alia, Teſtacea, & ſimilia, quæ caſu obruta reperiuntur, immemorabili tempore abſcondita, ut quædam cum ambiente terrâ in lapides ſint immutata. Falſum omninò eſt, oſſa in terrâ eſſe genita, ut Plinius ex Theophraſtô refert; non enim natura quid fruſtrà facit, vulgato inter Philoſophos Axiomate: Dentes hi fruſtrà eſſent, non enim dentium uſum habere poſſunt, nec Teſtarum fragmenta tegendi, ſicuti nec oſſa ullum animal fulciendi. Dentes ſine maxillâ, Teſtacea ſine Animali, oſſa unica (non niſi omnia conjuncta cum ipſo animali) in proprio elemento Natura nunquam fecit, quomodo in alieno nunc potuiſſe, & feciſſe eſt credendum? Oſſa enim ex eodem ſeminali excremento ortum habere ſimul cum animali ipſa experientia, & Natura docuit, tàm in homine, quàm in aliis animalibus ſanguine præditis, & ex ſemine initium habentibus, ac etiam quibusdam aliis; quomodo in Subterraneis terreſtribus ſemen hoc inveniri aſſeritur? qua experientiâ? Hoc ſi daretur, & hominem ſpontè oriri eſſet obſervatum, vel alia Animalia, ut bos, Equus, & ſimilia, quod quantum ſit dictu abhorrendum, & contrà naturalem obſervationem ſatis patet: ſicuti, quæ fuerunt à Goropio dicta de oſſibus humanâ ſpecie enormibus


ſub

ſub terra inventis, quæ Gigantum fuiſſe vana hominum ingenia credidiſſe aſſerit. Et nos addimus tempore Catharinæ Pellegrinæ nobis Aviæ in Abellino agro, cujus domina fuit, repertum ſepulcrum lateritium, in quo maximi hominis cadaver oſſeum erat, cujus tibiæ quatuor pedum longitudinem æquabant, illorumq; unicam diu ſervaſſe, veluti rem enormem, ac inſignem, quod non ſemel domeſticis, atque exteris aſſeruit, nobis adhuc pueris & ignaris literarum. Puteoli quoque non pauca Gigantum oſſa conſpici aſſerit Scipio Mazzella, addiditq; Pomponii Læti carmina de illis, ac etiã multa de Gigantibus ab antiquis dicta in lib. Italica lingua de Puteolorum antiquitate; omittimus quæ alii, & Plinius (l. 7. c. 16.) recitant: ſed addere voluimus in Siciliâ frequentisſima oſſa Gigantum reperiri, velui Incolæ Inſulæ fuerint antiqui viri præſertim Panormi, ut teſtatur doctisſimus, & Clarisſimus Vir P. Marianus Valguarnera in lib. de Orig. & Antiquit. Panormi impreſſo anno 1614. in eadem civitate Panormi, in quo doctisſimè agit de illorum ætate, & ſtaturâ, ſive magnitudine. Sed quid dicendum de enormisſimo Gigante à Jo. Boccatio relato in cap. 68. Genealogiæ gentilium Deorum, cujus dentes adhuc in Eccleſiâ D. Annunciatæ Drepani in Sicilia extare ait, & pondere centum unciarum eſſe, & quod etiam vix credibile mea ſententia, tota Gigantis ſtatura ducentorum cubitorum fuiſſe. Quare 105. oſſa, quæ reperiuntur hominis osſibus, vel alterius animalis paria, non ſpontè, ſed olim obruta, & aliquando eadem cum ipſa terrâ ambiente poſtmodum in ſaxeam ejus loci, vel aliam naturam ejusmodi converſa. Sed ad dentes redeundo, negatur quod intra ſaxa, vel tophos hujusmodi dentium materiei aptitudo inveniri queat, locis præſertim aridis tophaceis, cùm talis materia excrementitia, & nutitiva potiùs ex

 ali-

aliquo viventi animali proficiſci debeat, quam intra terram quærenda, ut ſuprà diximus: & ſic deficiente materiâ pro ipſo animali, cujus dens, vel os, aut teſta ſit, nec dentem, nec os, nec teſtam oriri poſſe eſt aſſerendum. Attamen permiſſa ſpontanea vegetatione, quærendum eſt adhuc, an dentes hi ab initiô ſpontè ſic fuerunt geniti, vel intrà tophos paulatìm acceſſit magnitudo, ut fit in animalium dentibus, quorum æmulantur ſpeciem? Si dicatur ſic genitos; inſtabimus, fuitnè tophus ex quo extracti fuerunt, antè concretus, vel poſt dentium perfectionem? Si tophus ſit ante genitus quæritur, eratnè locus in topho dentis illius effigie, ac magnitudine? an dens ipſe ſibi locum paravit? & quidem ſi tophus erat ante concretus, & ſine cavitate, non poterat vis vegeta dentis exorientis in topho jam duro, & ſolido ſibi locum per vim facere: & ſi vis ineſſet, ſcindi oportebat tophum. Et ſi locus erat prius in topho; reſpondetur non ex vegetâ naturâ dentis ipſius in topho effigiem illius excavatam, ſed tophum ſua natura & cavitate præcedenti formam denti præbuiſſe. Si verò dicatur paulatìm vegetaſſe, & excreviſſe, negabitur eadem ratione antedicta, ſcilicet, quia tophi durities non ceſſiſſet virtuti vegetabili, ut reciperet ſignum dentis, ſed potiùs ſciſſuram perpeſſa fuiſſet: aut quod potius tophus vegetaſſet, uterum dentis effigie geſtans, in quo humor oſſeus per poros penetrans, uteri cavitate repleta, per coagulationem; deinde illius effigiem accepiſſet; ut in lapidibus ex fluore ortum habentibus obſervatur. Negatur utroſq; vegetaſſe, cùm omnium dentium, quos viderimus, baſis, ſive radix fracta reperiatur, non uniformi fracturâ; ſed varia in omnibus. Quod argumentum non parvi faciendum, declarat non adfuiſſe vim vegetandi, ſicuti in aliis foſſilibus figuratis obſervatum eſt, quæ nunquam in illorum matrice mutilata

lata reperiuntur: & Natura illa formatrix in his defeciſſe videretur, cùm ſemper in reliquis foſſilibus genera, & ſpecies uniformes, integras nec fractas reddere ſoleat. Nec intra tophos caſu aliquo fractas radices, aut dentes fuiſſe, ſi dicatur, eſt credendum; cùm potiùs eſſet affirmandum caſu obrutos fuiſſe, & in ipsâ obrutione tunc ex maxillis animalium fractos decidiſſe, cùm antea integri in ipſis maxillis fuiſſent geniti, & deinde juxta caſum & alliſionem mutilati. Negatur etiam intra tophos potuiſſe hos dentes, humoris denſatione fieri, tam rationibus ante dictis, quàm etiam, quia fruſtra illos natura feciſſet tam eleganti ſpe-



cie ſerratos, nitidos, acutos, Lamiarum dentibus pares, nec ad uſum illorum aptos, cùm aliorum ſententia proprium cenſeatur vegetabile individuum naturæ; quam, ut verius eſt, pars & inſtrumentum animalis individui ſenſitivi; nedum vegetantis ad uſum voracitatis explendæ genitum. Ad hoc affirmandum adducimus aliam obſervationem, quæ à naturâ inaniter eſſet elaborata, niſi verè dentes, non lapides, & pars animalis demortui fuiſſent: variam nempè humoris electionem, ut aliam in radice dentis, aliam in dente interno, aliam in ſuperficie dentis fecerit: variam etiam dentium formam, magnitudinem, ha-

bitum,

bitum, & aptitudinem: nam alii dentes ex tophis excepti, quos habemus, magni, & latiores ſunt, & trigoni ferè, & alii anguſtiores, minores, & alii minimi anguſti, qui pyramidales, alii recti, alii pronâ parte incurvi, alii ſupina, alii in ſiniſtram, alii in dexteram inclinati, alii ſunt ſerrati exiguis dentibus, alii magnis ſerraturis, quod in minoribus triangulis obſervatur, & interioribus, alii nullis, quod in anguſtis Pyramidalibus; quæ omnia in Lamiarum dentibus ab Auctoribus obſervata reperiuntur, à Piſcatoribus & Naucleris obſervantur. Primi ordinis dentes extra os prominent, & in anteriorem partem inclinati proni conſpiciuntur: ſecundi ordinis recti ſunt præſertim adlatera oris, ubi trigoni, & latiores: reliqui ordines in interiorem oris partem ſupini procumbunt. Hæc omnia, qui obſervârit, quod facilè pluribus conſpectis dentibus erit, vera eſſe, quæ modò retulimus, affirmabit, & poſteà dentes fuiſſe cum maxillà genitos, non autem ſpontè vegetaſſe intra tophos dicat: quod quisque recentes Lamiæ dentes ſi ejusdem, aut etiam minoris magnitudinis in maxilla adhuc hærentes comparabit, ipſos eruendo & frangendo, etiam interna eadem eſſe ſubſtantia, materiâ & compactione inveniet: ac ſi nequeat habere, Imperati noſtri Muſéum adeat, & integras Lamiarum cum dentibus ſimilibus obſervabit. Quod autem olim ſupra montes omnes mare fuerit, aut ſaltem ab hominibus tunc viventibus occupatos non ſolùm Sacra Scriptura Chriſtianis id affirmat; ſed aliis Ariſtotele, cæterisq́ Philoſophis, Hiſtoricis, aliisq́ Scriptoribus idem teſtantibus ſufficeret, itemq́ à Poëtis, & inter cæteros Ovidio, (l. 15. Metamorph.) qui ait:

Vidi ego, quod fuerat quondam ſolidisſima tellus
Eſſe fretum; vidi factas ex æquore terras,

Et procul à Pelago Conchæ jacuere marinæ,
Et vetus inventa eſt in montibus anchora ſummis.

Certum eſt, Anchoram non potuiſſe vegetare, nec in montium jugis ad aliquem uſum absq; mari eſſe potuiſſe utilem. Id autem non modò accidiſſe univerſalis diluvii tempore, ſed aliis ſeculis, aliis in locis mutatam tellurem, & mare, vicisſimq; alternaſſe, non minùs ex hiſtoriâ Plinii à c. 85. ad 92. lib. 2. colligi poteſt, ſed ab aliis. Et nos oculati teſtes ſumus in Caſtro vulgò dicto, Torre della Nuntiata, *propè Stabii, ruinas quod olim Pompejanum fuiſſe putatur, egeſto terreno ſolidisſimo, quod taxum appellant, quaſi naturale terrenum, altitudine pedum quadraginta propè mare, ad uſum molendinorum ibi conſtruendorum, inventos in imo juxta aquam ferè, nam arena erat jam reperta, carbones, & lateritia fragmenta, quæ ibi ante congeſtionem illius terreni dejecta fuiſſe eſt credendum, & forſan illa congeſtio facta fuit Veſuviani incendii tempore, quô Plinius obiit, cùm anteà littus eſſet, nec diſpari modo, mons novus Puteoli appellatur, montis ſpecie egeſtio, ignis vi ex ſulphurariâ dicta, loco illo dejecta: quare loca illa mutata non eſt dubium, poſſuntq; ſub illis multa reperiri obruta, quæ minimè vegetare potuiſſent, in teſtimonium congeſtionis deſuper factæ longo tempore præterito. Objicitur poſtremo abſurdisſimum dictu, non eſſe credendum tot millia dentium, qui effosſi ſunt, & effodi poſſunt variis in locis, ex demortuis Cetaceis eſſe reliquias, cùm plures videantur numero hi, quàm qui ab origine mundi excidi potuiſſent ex maxillis univerſorum Cetaceorum: quaſi facilius natura in ſiccis montibus ſingulos dentes procreare potuiſſet intra ſaxa, quàm in mari proprio elemento, & patre, ſive matre rerum omnium ducentos ſimul dentes in maxillis innumerabilium Cetaceorum conge-*

 nerum;

nerum; quæ ab initio mundi uſq; ad diluvii tempus demortua potuiſſent ab æſtu maris, variis in locis juxta animalium iter, dum viverent, & poſt demortua, juxta etiam ventorum impulſum eliſa, & obtrita, limoq; obvoluta cum aliis maritimis, & terreſtribus rebus congeri, & deinde in ſicco relicta propter receſſum aquarum, in lapideam naturam aliqua cum ipſo limô commutati, juxta loci aptitudinem, & limi, & ſucci ſpeciem, alio verò loco etiamnum immutata reperiri, eo quod ſicciori, & ſabuloſo ſint obruta, ut in tophaceis locis & ſabuloſis Apuliæ, Melitæ, & Neptuni, locis à nobis obſervatis. Id verum eſſe patet: nam in Melitenſi topho ſimul cum dentibus hisce, ſive Linguis dictis Conchæ, & Buccina, & eorum fragmenta teſtacea, atque etiam illarum repletiones ejusdem materiei tophaceæ obſervantur ac illarum impresſiones; quare qui hæc omnia obſervârit, noſtram ſententiam approbare compelletur. Hoc facilè quispiam obſervare poterit, ſi ex Melitâ, vel ſimili loco mediocre tophum habere contenderit, in quo aliquid ex his adhæſerit. Nec, ut quidam recentiores contra Philoſophiæ præclarisſimos ſcriptores ac Præceptores relictâ veritate, ſimiles dentes, & Concharum varietates ſpontè intra ſaxa oriri amplius dicet, niſi mare eodem loco, eo temporis Intervallo conſtiterit, quousq; ſuam naturam præbuerit monti, ut in eo posſit oriri, & incrementum animal cum teſtâ, vel aliud accipere poſit, non alio, quàm ſi in ipſo mari eſſet genitum modo, ſicuti & aquaticæ plantæ locis arte aquoſis factis, vel caſu ſolent eo loci etiam, ut in naturalibus paluſtribus oriri. Nec ita natum, & enutritum poterit ſuam ſuperficiem ſaxo, vel topho imprimere, ut in his, quæ obruta inveniuntur; ſicuti nec inprimi unquam, nec enim poteſt Concha

illa

illa in argumentum, & exemplum allata, quæ intra ſaxorum cavitates, aliarumque rerum, ipſarumq; teſtarum (in ſpondylorum teſtis obſervavimus externa parte, intra quandam cavitatem vix foraminulo apparente) ſponte in mari, & rupibus maritimis, in quibus allidit unda oriens, quæ Cappa longa *dici aſſeritur à Goropio & aliis, vulgò,* Dattili, *à Piſcatoribus, quia Dactylorum effigiem, & glandium, præſeferunt; ab aliis* Pholas, *ea ratione dicitur, quia occultè in cavernis oritur, & vivit, tamdiu incrementum capit, quouſq; intra cavernulam illam commodè hiare poſſit, alias periret; nec unquam in ſaxo, quo vixit, & periit, ſuæ formæ ſignum, vel ſtriam aliquam, aut lineam reliquiſſe eſt obſervatum, cum nec potuerit, propterea quod teſta creſcens extrema parte, qua hiat, tenerior eſt reliqua in omnibus teſtaceis, nec poſſet vim ſaxo, & non ſibi ipſi inferre, ut impresſio fieret ſaxo. Nec etiam in dictis cavernulis dimidia teſta, vel pars illius, aut fragmentum tantùm ſpontè ortum fuit repertum, nec etiam ipſa teſta integra, quæ per compresſionem ſaxi, rimam, aut fracturæ ſignum paſſa ſit: ſicuti in montibus, & aliis locis extrà mare reperiuntur ferè omnes, ut vix paucæ integræ poſſint reperiri. Nos quidem non modò naturalium rerum ignarum, ſed inſanum putamus, qui fruſtulum, aut dimidiam teſtam, vel integram ſpontè editam eadem magnitudine ab initio, vel alio modo intra ſaxa ſic genitam aſſeruerit, quæ etiam adeò cohærere ſaxo reperta ſit, ut reperiuntur in ſaxis, quæ vix eximi poſſit, & non integra, & exempta impresſionem ſui relinquat, tanquam cuneum ejuſdem. Non enim natura illas etiam cum noſtro ſeculo procreare deſiiſſet, ſi alias procreaſſet, atq; clarum eſt piſcatoribus, nedum naturæ ſtudioſis obſerva-*

ſervatoribus, teſtas in ipſo mari, quibus animal periit, illas, ingredi cancellos pro ſua tutela, nec unquam teſtæ illæ cum Cancello, aut ſine, incrementum accepiſſe eſt obſervatum, ſed contra, quod ob maris volutationem atteruntur: atque demum inſanisſimum, qui lapides Conchæ figuram integram, vel dimidiam, aut partem aliquam exprimentes illarum, ſic vegetaſſe affirmaverit, cùm omnes illæ figuræ à Cadaveribus vegetantium, & obrutarum rerum originem traxiſſe non dubitemus. Qui verò non modò, quæ apud nos, ſed quæ apud doctisſimum noſtrum Imperatum in ſuo Muséo ſervantur omnis generis teſtaceorum, aliarum rerum in lapides verſa, vel repleta vario genere concretionis lapidea viderit, quin noſtram, & antiquorum ſententiam probaverit experientia non veremur. Lapides verò, qui ſpontè oriuntur figurati, nullam habent cum animalibus, vel partibus animalium, communitatem, ſed propria figura, nec ita exactè reperiuntur, nec ejuſdem generis ita ſibi reſpondent, ut in ſupradictis rebus ex cadaveribus imaginem recipientibus. Sic etiam qui Fungi marini dicuntur lapidei, quia non ex Fungo-





rum cadaveribus, ſed propria vegetatione ortum ducunt, ſtrias habent in ſuperiore parte, non inferna, ut in terreſtribus, & pedi-

culo


culo etiam ex leviore parte præditi reperiuntur, ut doctiſſimus Cluſius l.6. Exot. depinxit, ſuntq́ vegetabiles eodem modo, quo Coralii ſpecies poroſæ à doctiſſ. Ferdinando Imperato l.26. c.3. Madreporæ *denominatæ. Differunt, quia non ramoſi, & ſtatim in latera ſe expandunt, Cluſius in Nilo oriri, qui petiolum habent, aſſeruit. Nos ex poroſâ Coralii ſpecie, & hos pyxiditos ortos proponimus, cujus iconem damus. Horum Dentium, aliarumq́ rerum intra candidam illam tophaceam Melitenſem concretionem repertarum vires, easdem cum ipsâ terrâ Melitenſi, quæ vulgò ab Empiricis circumfertur, & S. Pauli appellatur terra, eſſe aſſeritur. Caniculæ dentes allegati repentinos pavores tollere Plinius l.31. c.10. recitat. Rondeletius refert, dentes ab Aurificibus argento includi, quos Serpentis dentes vocant: hos è collo puerorum ſuspendunt mulieres, quia dentitionem juvare creduntur, ac etiam puerorum Pavores arcere. Conſici etiam Dentifricia: nam etiam ignita duritiem ſervant; & Pulvis aſperitate Dentes dealbat, illos detergendo. Bellonius verò: Lamias enim qui capiunt, ex earum Dentibus ac Maxillis magnum quæſtum facere ſolent, quos ajunt, adverſus Venena conferre: quamobrem Auro & Argento includere Vulgus eos ſolet. FINIS.*

Quâ occaſione potuiſſem quidem (& aliquantò forſan utiliùs) datæ *Autoris noſtri de Gloſſopetris Diſſertationi*, ſubjungere de ſimili Materiâ aliam; ſcilicet ea, quæ more ſuo, h.e. pereruditè ac curiosè diſſerit *Acutisſimus hodie ac Celeberrimus Nicolaus Steno,* de *Canis Carchariæ* diſſecto *à Se* Capite, Florentiæ quondam, penes Magnum Ducem Hetruriæ, annexa *Specimini Elementorum Myologiæ*, pag. 90. & ſeq. (edit. Amſtelodamenſ.) ac imprimis pag. 110. usque ad 137. Sed quia Liber iſte faciliùs obtineri in Bibliopoliis poteſt, quàm qui-

 dem

dem *Columnæ:* ideoq; inſuper habito Transſcriptionis labore, ſufficit, *Lectori Benevolo* digitum eò intendere; redeoque in viam, Brevis noſtri *Lexici Oſtracologici* complendi.

Lobus: Auricula Hominis aliàs; vel extremæ anguloſæ, & ſegmentis velut diviſæ partes Hepatis aut Pulmonis, ventriculum aut Cor ambientes. Item in Plantis, omnis Folliculus aut ſiliqua, quibus Natura Semen earum repoſuit. *Columnæ* noſtro autem, Majores, in angulum excurrentes portiones Teſtæ, quâ tegitur Concha altera Anomia Striata, Τρίλοβος Eidem (cap. 15.) dicta, quòd velut *ex tribus ſimul junctis Teſtis, mediâ magis extuberante, conſtructa* videatur, hâc effigie:




Lux: Particulæ, Guttulævè nativi Fluoris Lucidi, copioſiùsque congregati alicubi in Teſtaceorum quorundam, adhuc viventium, Succo aut Carnibus. Cujusmodi Guttulas, ſuavi fulgore argenteo-viridi micantes in tenebris, quamſæpe Venetiis vidi in Oſtreis, quæ illas, ſibi diu relictæ, circa commiſſuram Teſtæ foris monſtrabant, magnitudine Perlæ exiguæ; agitata verò, aut blandiùs quoque tacta, eandem agiliter retrahebant.

M.

M.

Macula: Confer, *Nota.* Maculæ, Inſcriptiones Coloratæ (1.) Teſtarum, tum foris, tum etiam intùs. *Column.* de Purp. cap. 1. §. 32: *Intus lævis eſt, &c. obliquè percurrentibus purpuro-nigris Maculis, ex oris magine, in internâ ventrioſâ parte.* (2.) Ipſius etiam Carnis. *Ibidem* §. 33: *Animal* (Purpura) *Carne flavicante, denſis maculis, ex cœruleo purpurantibus depicta, aliis exiguis luteis immixtis, præſertim in Cervice.* Et cap. 10. §. 2. in Cochleâ Marinâ Exoticâ Marmoreâ Maculas *Carnis aut Cutis* nigras, magnas, & inordinatas eſſe ait.

Ac imprimis in *Maculis Teſtarum,* aut Corticis, quo Teſta obducitur, inſignis paſſim occurrit Varietas. Nam habentur Magnæ, Mediocres, & Parvæ; Rectæ, Curvæ, & Recticurvæ; Æquales, & Inæquales; Latæ & Strictæ; Quadrangulares, Triangulares, Rotundæ, & Irregulariores, rectè, transverſim, & in obliquum poſitæ, e. g: *Column.* d. Purp. cap. 3. §. 2: (Turbo Exoticus) *Maculis Obliquis, Roſeo Colore variegatus tam Circa Umbilicum, quàm in reliquis Volutis.* Inordinatim item, aut parallelè diſpoſitæ; vel etiam raditim tendentes à centro ad Circumferentiam, ut in Lepade Exoticâ variegatâ *Column.* c. 6.



Albæ denique, flavæ, rubræ, cœruleſcentes, brunæ, aureæ, Virides, lividæ, & atræ: & ex his uno aliquæ ornatæ Colorum

gene-

genere; vel diverſo, & variegatæ. Argentopalinus fulgor verò longè latèque non ex Concavo ſolum, ſed Convexo etiam Teſtarum multarum lætè emicat, ſi Cortex ſaltem ritè priùs dimotus ſit.

Margaritæ, Uniones: De his perſpicuè actum vide in Annotat. X. §. 12. & ſeq.

Margo: Orificii, aliarumvè Partium Teſtæ, in aperturam aliquam diductarum, determinatio. *Columm.* d. Purp. cap. 1. §. 28: *In extremâ Oris Margine, quâ Teſtæ Os definitur.* Et §. 30: *Statuto tempore quotannis latent Conchæ, Scopulis Oris Margine adhærente.*

Meatus: Pars oblongè concava in Teſtis, aut Teſtaceorum carnibus, quam aliquid Fluidius permeat.

Meatus Excretorius: vid: Anus.

Mecon: (Μήκων) Papaver; unde Μηκώνιον, *Meconium,* Paperculum; Succus, ex Papavere expreſſus. Tropicè dein idem, ac (1.) Excrementum craſſum ac nigricans, quod à recens-natis Infantulis primò excernitur. (2.) Lentor tenax, viſcidulus, fuſci Coloris, in Ventre Purpurarum, aliorumvè Turbinatorum, ſitus, habitusque cæteroquin pro illarum vel Corde, vel Hepate, uti ſupra (Annot. XII. §. 18.) monuimus.

Membrana, Cirris Nautili interpoſita: vide ſub Voce *Cirri.* Pellicula videlicet tenuis, ſed robuſta, inter brachia Nautili, Polypum referentis, ſita; quâ etiam, aurâ inſpirante, velificare ſcribitur.

Meſenterium: Corpus membraneum, in Hominis Ventre, quo Inteſtina colligantur, Venis, Nervis, Arteriis, ac aliis Vaſis, Glandulisque intertextum. Purpuris etiam tale quid tribui, vide in *Annotat.* XII. §. 17.

Micæ: Puncta aut Maculæ coloratæ in Teſtâ aut carne.

Columm.

Columnn. de Purp. cap. 4. §. 1: *Corpus variegatum obſcuris Micis purpureis, & infernè parum ad cœruleum tendens,* (in Buccino parvo.)

Mucro, Mucrones: Acuti proceſſus Teſtarum tam univalvium, quàm ex bivalvibus, Conchæ Exoticæ; de quâ ſic *Columna,* d. Purp. c. 17. §. 3: *In plures deſinit Mucrones, totaque Margo mucronata. Quare Concha* Μαχαιρερραβδώτη *apellari poteſt.*

Murices: de hoc nomine abundè actum vide *Annotat.* VII.

N.

Nervus: Accipitur in Oſtracologiâ, ſat propriè quidem, pro Re Tubulatâ, molli, tereti, firmâ, candicante, Spiritibus motoriis irradiatâ, in Mole carneâ viventis Animalis: ſed juxta modum Exiſtendi intercedit quædam diverſitas. Nam tale quid exſtare ſolet, vel

- Solitariè; habetque ſe, ut funiculus nerveus albicans, ex Anatome hominis aliàs ſat notus; immediatum Motûs localis organum.
- Sociatim; habetque ſe, ut breve quoddam Corpus tendinoſum aut ligamentoſum, circa cardines Bivalvium præſertim conſpicuum, album. (interdum & coloris alteriùs) durum, latum, craſſum, ac tenax. *Worm.* lib. 3. Muſ. c. 7. p. 254. *Cardinibus non junguntur farctis invicem* (Chamæ Piperatæ, Biveroni Italicè) *ſed Nervo, ut Oſtrea. Item Mytuli, Pectines,* &c. Aptiùsque *Nerveum Vinculum* dicitur.

Nodus: videtur idem eſſe, quod Ginglymus, vel Inarticulatio. *Columm.* d. Purp. cap. 11. §. 2: *Ad differentiam earum*

(Concharum) *quæ brevi Nodo ligantur.* Idem cap. 15. §. 4. *Hæ omnes Anomiæ brevi Nodo ligantur, ob Cervicis anguſtiam.*

Notæ: Maculæ. *Col.* de Purp. cap. 4. §. 2: *Circa Volutarum imum Caſtaneis Notis diſtincta.* Habenturque Muricum ſpecies Maculis virgatis, tanquam *Notis Muſicalibus inſcriptæ*; quales Clar. *Olearius* (Tab. 30. Camer. Gott. ad num. 4. 5. 6. 7. pag. 66.) *Conchas Muſicales* nominat; ego verò in Teſtaceorum meorum Catalogo privatim appello eâ in parte, ubi de *Turbinatis muricatis* agitur, *Conchas in ſuperno ſpiræ ambitu Muricatas*, Muricum *ſerie ſimplici; lividas, Virgulis multis ruffis disruptis, & velut Lineis Muſicalibus inſcriptas, Marmoreas quibusdam dictas:* aut breviùs; *Murices Marmoreos lineis velut Muſicalibus inſcriptos; qualem etiam depingit Beslerus in* Gazophylacio, Tab. 23.

O.

Oculus: Propriè quid ſit, vel citra Anatomen notum eſt: hujusque generis Partibus Teſtacea aliqua deſtitui, *Ariſtoteles*, ni fallor, putavit, 1. Hiſt. An. c. 9. Sed aliquibus utique emisſitii ſunt, & in corniculis ſiti; aſt diverſimodè. Eorum enim apici, in Limacibus, aut Cochleis terreſtribus, circa medium verò in Purpuris ſiti ſunt: *Columm.* de Purp. cap. 1. §. 33: *Oculi non in ſummo, ut in Terreſtribus, ſed ſupra medium Corniculorum obſervantur, ubi Cornicula veluti reſecta, per longum tenuiora efficiuntur.* Adde, quæ habet cap. 4. §. 1.

Onyx: Operculum Conchylii paluſtris turbinati Indici, juxta *Dioſcoridem;* à lævore Unguis ſic dictum. Vid. *Columm.* de Purp. cap. 1. §. 15. 17. & confer tit: *Operculum.*

Operculum: in genere, Res, quâ aliquid tegitur; in ſpecie verò, durus & planus (interdum utcunque incurvatus)

tus) Orbiculus, vel Cruſtaceum Congelamen (confer etiam Vocem, *Cruſta*) ex Salivali viscoſitate & ſordibus Terræ obnatum transverſim, Orificio Teſtarum Univalvium, & occludens hoc pacto Teſtam, mollioresque Animalculi partes intùs defendens ab hybernis injuriis. *Nota eſt, Rugoſa ſuperficies orbiculatim,* ut ait *Columņ.* de Purp. cap. 1. §. 33. Præſtaret, ſi pro voce, *Orbiculatim,* poſuiſſet *Spiratim, aut ſpiraliter-convolutim. Onychem* etiam dici, ſub Voce præcedaneâ modò diximus. Eſtque Turbinatis omnibus commune. *Columņ.* cap. 18. §. 3: *Omnes Teſtas, quæ convolvuntur turbine, Operculum habere obſervatum eſt: nec niſi dimoto illo, Saxis adhæreſcunt. — Saxum pro illo, cui adhærere pro tutelâ poſſint, tribuendum.* Illudque in aliis craſſum, in aliis (ut in Cochleis quibusdam minoribus ſtriatis Holſaticis) tenuius eſſe conſtat. *Columņ.* cap. 9. §. 1: *Geritq; Operculum* (Cochlea Terreſtris Turbinata) *craſſum & Cochleatum, ut in marinis obſervatur.* Et tale proin conjecturam Cochleæ Marinæ Exoticæ marmoreæ tribuit, cap. 10. §. 1.

Cremata olim, in Uſum Tincturæ, Opercula videntur. *Columņ.* de Purp. c. 1. §. 17: *Easdem vires crematis Operculis paluſtris Conchylii, Dioſcorides reliquis marinis Purpuris tribuit.*

Orbes: Ventrioſæ Teſtæ Spirales Convolutiones *Columņ.* de Purp. cap. 7. §. 1: *Octo vel novem Orbibus definitur* (Turbo Terreſtris non deſcriptus.) Ex quibus aliqui Annorum numerum ſupputant; ſed falſo, teſte *Eodem,* cap. 1. §. 28. ex Ariſtotele & Plinio: *Quibus* (Orbibus) *totidem, quot Annos habent:* addente: *Non enim ex Orbibus, quibus claviculatim contorquentur Teſtæ omnes* (intellige, Turbinatæ præſertim) *Anni earum obſervari debent, &c. Si Orbis nomine quamlibet*

orbiculatam ventricoſam partem, claviculatim intortam Teſtarum, eſſe dicas. Et hujus ipſius negativæ ſuæ rationem ulteriùs (§. 31. & 32.) deducit.

Hoc verò imprimis etiam ut addam, videtur operæ precium: Convolvuntur Orbes Turbinatorum plerorumq; in ſiniſtram partem. Contrà, ex ſiniſtrâ in dextram, in Turbine Terreſtri non-deſcripto (ab aliis nempe) & depicto apud *Columm.* de Purp. cap. 7. §. 1. ut & in



altero minore *Ejusdem*, depicto ibidem, cap. 8. Confer



itidem titulum, *Voluta*.

Orbium Anfractus: vid. ſub Lit. A.

Oræ: Limbi extremi Aperturarum in Teſtis, præcipuè in convolutis aut Turbinatis protuberantes, & velut turgentes aliquantò plus, præ Teſtæ texturâ reliquâ; orti ab Humore Salivali impacto, quo Turbinata per Hyemem ſe ipſa Scopulis agglutinant, ut Humor iſte in Eminentiam aliquam ſenſim craſſeſcat, quoniam Teſta ipſa, Orificium non undiq; Scopulorum ſuperficiei parallelum habet.

Orificium: Cavitas ſubrotunda, per quam aditus ad interiora eſt. Confer *Oræ*.

Os, oris: (1.) Apertura amplior partis Carnoſæ anterioris, quâ Alimentum intrò transmittitur; vel Fauces: quo ſenſu, de Ore Purpuræ, actum vide in *Annotat.* XII. §. 7. (2.) Idem, quod Ora, vel Ampliatio exterior Teſtaceorum univalvi-

Valvium, quâ Scopulis adhærent, aſpera vel lævis, rotunda vel triangularis. *Columm.* de Purp. cap. 1. §. 20. ex Plinio: *Mutianus Muricem eſſe latiorem Purpurâ, neq; aſpero, neque rotundo Ore.*

Oſtrum: Quid ſit, & quænam circa hanc vocem conſideranda veniant, jam ſupra prolixè, in *Annotatione* III. eſt actum.

Ova: propriè quidem non ſunt Partes, ſed potiùs Fructus, & nova Individua Teſtaceorum, formâ Ovi ſe multiplicantium: communiter tamen pro Partibus habentur. Et ideò Vocem hanc nolui Silentio transmittere. Quin de Ovis Teſtaceorum, in *Annotationis* X. §. 24. & 25. actum vide: nec non *Annotat.* XI. §. 21. 22. & 23.

P.

Papaver: Græcè Μήκων: vid. Annotat. 12. §. 18. & confer Vocem *Meconium.*

Perlæ: vid. *Margaritæ.*

Proboſcis: Elefantis propriè proprius: h. e. Prominentia longa, teres, flexilis, ac retractitis, quâ vel alimentum, vel qualescunque alias res attrahunt, aut minimò deguſtant, & ſic vulgò de Muſcis etiam dicitur, quarum Proboſcides duæ, ſunt quædam quaſi Linguæ illarum, & proceſſus exploratorii, hinc inde flexiles. Sed iſtiusmodi Excreſcentia etiam Buccinis, Purpuris, & Turbinatis aliis quandoque tribuitur; præſertim Purpuris: ut etiam Eſcas perforare dicantur illâ.

Proceſſus: Protuberantes teſtarum partes, tàm craſſæ in acumen tendentes, quàm planiores ac tenuiores, & velut Apophyſes.

Prominentiæ: Partes Teſtarum exſtantiores.

Pulpa: Caro Teſtaceorum quorundam planè tenera, e.g. Balanorum.

Pyramides: Concretiones Cryſtallinæ, conicæ, longæ in Conchâ lapideâ. *Columm.* de Purp. c. 16. §. 3: *In plures angulosas connexas pyramides concreti.*

Pyxis: Concavitas cavernulæ, in craſſiore Teſtarum parte, e. g. *Col.* de Purp. cap. 17. §. 2. de Conchâ Exoticâ mucronatâ, Striis fiſtuloſis donatâ: *Habeatq; ternas Connexiones pyxidatas.*

R.

Rhabdus: (ὁ ῥάβδος) Virga, Linea, Stria: unde ῥαβδωτός, virgatus; & inter Oſtrea quædam ῥαβδωτὰ vocantur, quaſi dicas Virgata, vel pectinatim diviſa, aut Striata: & *Fabius Columna*, Concham ſuam Exoticam mucronatam, eo quod Striis eminentibus, in mucrones exeuntibus ornatur, μαχαιρορραβδώτην appellari poſſe ait: de Purp. c. 17. §. 3. Confer etiam *Annotat.* X. §. 4.

Rima: (1.) in aliquibus Apertura totius Teſtæ Strictior, e. g. in Conchâ Venereà, & Conchâ utroq; latere ſe colligente *Col.* de Purp. c. 20: *Rimam pro Ore habet lævem.* Icon eſt hæc:




(2.) In Partibus Carnoſis, Foramen oblongum acutangulum, ex commiſſurâ duorum laterum oblongorum ortum, aut ſtrictus intercedens hiatus. *Col.* de Purp. c. 2. §. 2. *Rimam pro ore*

(habet

(habet Cochlea Iânthina) *in medio* (Glandis carnoſæ prominentis) *fæmininum ferè ſexum referens*, *rubeſcente magis interna parte.* Iconem iterum dedimus in hoc ipſo Lexico ſub titulo *Glandis.*

Roſtrum: (1.) In Univalvibus, Productio Orificii Teſtæ, plùsminùs longa, recta, & repanda, anguloſa, vel rotundior. *Columm.* de Purp. cap. 1. §. 20. ex Plinio: *Neque* (Muricem eſſe) *in angulos prodeunte Roſtro, ſed ſimplice Conchâ, utroque latere ſe colligente.* Roſtro tamen aliquo', utut brevi & repando, Purpuræ Teſtam gaudere, ex Effigie, ſuis in locis datâ, patet affatim. Aſt impoſſibile eſſe, ut illo Conchylia alia perforet, poſtmodùm in *Annotationis* XII. §. 13. oſtendimus. (2.) In Bivalvibus Roſtrum dicitur quoque Eminentia oblonga Teſtæ alterutrius, quâ alteri, (ſociæ ſuæ) committitur, eique incurvatim ſuperincumbit; e.g. in Conchis Anomiis *Columnæ* de Purp. Cap. 12. §. 5: *Omnes peculiari notâ ſunt prœditæ, quod Cervice prominente Roſtratâ pertuſâ oriuntur, quâ Turbinatorum more Aquam haurire & exſpuere poſſunt.* Iconemque hanc *Autor* addit:



(3.) Roſtra in iisdem Bivalvibus dicuntur prætereà acutæ Cuſpides aut Mucrones, quibus Limbus Conchæ Exoticæ exaſperatur, deſcriptus â *Columnâ* de Purp. cap. 17. §. 1.

Rugæ:

Rugæ: Eminentiæ Teſtaceorum in oblongum productæ, latiores, & velut Undæ, aut ſtrictiores; profundiores, aut ſuperficiales; obliquè, aut rectà ductæ; denſiùs compactæ, aut laxiùs à ſe diſtantes; molliores (in Carne quorundam) aut duræ præſertim, in Teſtis multis conſpicuæ, e. g. Chamarum, Pectinum, Cochlearum, Turbinum quorundam, noſtræ Purpuræ, ac ſimilium. Ita enim *Columη.* c. 10. §. 4. de Cochleâ Marinâ Exoticâ: *Rugis oblquè profundioribus, ut quodammodo aſpera ſit tangenti.* Et cap. 11. §. 3. de Conchâ Πολυλεπτογίγγλυμω: *Obliquis denſioribus Rugis exaſperata.* Et cap. 12. §. 3. de Conchâ Anomiâ Rariore: *Concha parva eſt, —— obliquè parum additamentis Rugoſa, ſed non ob id aſpera, ſed lævis.* Icon inferiùs relata exſtat ſub Voce *Vertex.*

S.

Saliva Purpuræ: vid. *Annotat.* XII. §. 20.

Sanguis: Propriè ſatis de Humore Vitali Teſtaceorum purpureo, præſertim Purpuræ, dicitur. *Columη.* de Purp. cap. 1. §. 23. & 37. ex Martiali:

Sanguine de noſtro tinctas, ingrate, lacernas
Induis. —— —— Dicitur etiam Purpuræ Flos, Humor, Sanies, Lacryma: & confer Tit: *Oſtrum.*

Sanies: i. e. Sanguis vel Succus tingens Purpurarum. *Columη.* c. 1. §. 36: *A nemine verò hucusque* (conſpicitur depicta Purpura) *interno Animali obſervato; nedum Purpuream Saniem fundente.*

Semen, Seminale Principium Purpurarum, & aliorum Teſtaceorum. Vid. *Annotat.* XI. §. 16. ſeq.

Sinus: Arcuata, & velut lunata Teſtæ Concavitas. *Col.* de Purp. c. 18. §. 1; de Conchâ Natatili Netritode: *Caret illo*

Luna-

Lunato Sinu circa Columellæ ſummum, quo Lingua exſeri poſſit, ut in Congeneribus.

Spiræ: vid. Volutæ.

Spondylus: Ita Carnem Teſtaceorum Græcis dici, ait *Jonſtonus,* de Aquatil. Exſang. pag. 36. b.

Spuma: Humor viſcidus, in Bullas dilatatus. *Columm.* de Purp. c. 2. §. 3: *Copioſum extuberantem ſatis, atq; veluti cartilagineam ſpumam vitream fundebant omnes* (Cochleæ Ianthinæ) *non ſecus, ac Aquâ, diluto Sapone multo, & concuſsâ, atq; paleæ vel alterius rei exiguâ fiſtulâ intinctâ, & inflatâ, paulatim evenit, ut puerorum mos eſt Neapoli, &c.*

Stomachus: confer *Ventriculus.*

Striæ: Eminentiæ ſtrictæ, ſed in longum rectà aut obliquè, (per Convexum Teſtarum præſertim) ductæ. Confer, *Rhabdus.* Deque illis fuſiùs paulò actum in *Annotat.* X. eſt. Sunt videlicet magnæ, aut parvæ: eminentes, (dictæ *Exochæ*) aut compreſſiores. Et Eminentes quidem vel ſolidæ, vel fiſtuloſæ, in Conchâ Exoticâ. *Columm.* de Purp. cap. 17. §. 1. Vel latiores, aut ſtrictiores: Læves, aut Aſperæ: *Columm.* de Purp. c. 1. §. 28. *Ab his dependent tuberoſæ, atque parum muricatæ Striæ, Teſtam per longum exaſperantes.* Juxta longitudinem Teſtarum diſpoſitæ, ut jam dictum, vel transverſim excurrentes, ut in Lepade parvâ, Myrti Morbus dictâ, & depictâ apud *Columm.* c. 6. §. 2. hâc figurâ:




laxius diſpoſiiæ, aut denſiùs, ut in Conchâ Πολυλεπτογιγγλύμῳ *Col.* c. 11. §. 3: *Externè admodùm densè Striata.* (Teſta.)

Striges: Interſtitia forſan depresſiora ac plana Striarum

*** *** *** emi-

eminentium, in Conchâ alterâ Anomiâ Striatâ *Columm.* de Purp. c. 15. §. 1: *Senis Striis, totidemq; Strigibus in ſingulis lobis, quibus margines denticulatæ fiunt.* Icon eſt talis, ibi exſtans:



Certè non tam Strias duplicatas & fiſtuloſas, quàm ab his diſtinctum quid eſſe, patet tum ex adducto loco *Autoris*; tum ex *Ejusdem* etiam hoc, de Conchâ Exoticâ, cap. 17. §. 1: *Huic læves & latiores* (Striæ) *duplo ferè ſunt Strigibus.* E contrario *Wormius* lib. 3. Muſ. c. 7. p. 253. Striges habet pro Canaliculis, de Conchâ Echinatâ vel Aculeatâ ſic ſcribens: *Notandum, quod aculei ſint in Exochis tantùm, non verò in Canaliculis, (quas Striges quoq; & Strigiles quidam vocant) ſiti.*

Strigiles: idem quod Canaliculi, juxta *Wormium* jamjam adductum; quod Striæ verò, juxta *Vitruvium*.

Succus: Humor Teſtaceorum, tripl cter ſe habens. Vel enim (1.) intelligitur Succus inter concavum Teſtæ, & Convexum carnis natans, plerorumque Salſus; qui parum aliud, quàm miſtura quædam Aquæ marinæ hauſtæ, cum Succo ſalivali proprio Carnis, transſudatione eò delato. Vel (2.) Succus ipſe jam dictus, Carni immerſus, dulcis, & albeſcens ut-

pluri-

plurimùm, ſi exprimatur, aut animal vulneretur. Quamvis Coloratum in Cochleâ Iänthinâ obſervarit *Columna*, ſic ſcribens, de Purp. cap. 2. §. 4: *Et paxillo vel acu ſauciatâ Animalis Cervice, tres aut quatuor guttæ ex Teſtâ decidunt; & quicquid tangunt, inficiunt purpureo cœruleo colore admodùm hilari, ut nihil ſuprà commendari posſit.* Vel (3.) Succus Coloratus Carnis Teſtaceorum quorundam, maximè Purpuræ, in Venâ peculiari collectus; ſicut & Cochleæ modò-dictæ Iänthinæ, de quâ proin ibidem: *Copioſum,* inquit, *ſponte evomunt Conchæ iſtæ Succum purpureum Violaceum, ut ſe ipſas inficiant, & colligentium Manus.* De Succo Purpuræ homonymo, vide *Annotationem* XII. §. 20. ad *Columna.* Qui Succus, alias etiam dicitur *Flos:* & ſic confer in hoc *Dictionario* ſuperiùs, Titulum *Flos.*

Sulcus: Inciſura ſimplex profundior, per medium (e.g. Conchæ cujusdam lapideæ Ferrugineæ) laxâ ſui diductione excurrens.

Sutura: Inſcriptio, aut Linea profundior Teſtæ, ipſam apparenter magis, quàm verè in partes, aut duas Teſtas ſecans. *Wormius* lib. 3. Muſ. cap. 7. pag. 254: *Chamæ genus rarum, quod ad Peloridas referendum videtur.* —— *Oblongam, & intùs lævem teſtam habet, in duas quaſi Partes ſectam, junctamq; per Lineam ſimplicem dentatam, inſtar Suturæ: quæ Sutura tamen exteriore parte non apparet.*

T.

Teſta: Durior pars Teſtaceorum, vel ὀστρακοδέρμων, per quam, forinſecus ipſis obnatam à Natitilibus teliquis, cruſtâ, pelle, membranuláve veſtitis, distinguuntur: inſerviens ipſis tam habitaculi, quàm munimenti loco. Et peculiari-

ter de Purpuræ Teſtâ, hujusque partibus fuſè eſt actum ſuprà, *Annotat.* IX. totâ. Cui adde verba *Autoris* hæc, ex Præfatione: *Neminem ipſa Teſtis inhabitantia Animalia* (Purpuram exhibentia) *conſideraſſe, mirum ſanè videri poteſt.* Et mox: *Exponere hic voluimus Purpuram, Teſtas ſimul, ipſaque Animalia in Phyſicam Contemplationem adducentes.* Et in ipſius Tractatûs Cap. I. §. 7: *Teſtæ, Græcè ὄςρεα, ex ὀςέον, quod eſt Os, quia Oſſium ſit duritie Marina Concha.* Jam verò de voce Oſtri, Oſtracei, &c. ex profeſſo actum vide *Annot.* III. & de Voce Conchylii, *Annotat.* IV.

Teſtulæ Teſtarum: de his in *Annotatione* X. §. 7. & ſeq; pertractatum eſt.

Trachàlum: Græcè Τράχηλον. Muricum vel acutorum proceſſuum in Teſtis ſummitates. Deque Voce hâc pluribus actum eſt in *Annotationis* IX. §. 14.

Tubera, Tubercula, Tuberoſitates: Eminentiæ ſubrotundæ, breves in Teſtis, Colliculorum inſtar, obtuſo modo elatæ. *Columm.* de Purp. c. 1. §. 27: *Illorum* (Muricum) *vice brevioribus & craſſioribus horret tuberculis.* Et cap. 5. §. 1. de Buccino Exotico parvo: *Tuberculis nigro-flaventibus, & Lineis elatis candida Teſta exornatur.*

Tubulus: Canalis, Productio ſtricta & corcava Teſtæ, ab ejus præcipuè orificio emergens. *Columm.* de Purp. c. 1. §. 28: Brevi admodùm *Tubulo vel Canali, oris pars ſuperior definitur.* Uſus in aliquibus; Concedere Linguæ tranſitum, ut ſe proferat forâs. *Columm.* ibidem: *Quæ anteâ Tubuli ſive Canales, ex quâ Linguæ ad uſum proferebatur, fuère.*

Turbo: Accipitur hæc vox in modum vel Totius, vel Partis. *Priori modo* denotat Univalvium ſpecies, ex Columellâ intùs, tanquam axe, firmatam gerentes Volutam, vel Spiram, ex amplo orificio in tenuem apicem, breviùs longiusvè

usvè tortam: deque Turbinatorum iſtiusmodi charactere diſtinctivo aliquid dictum eſt in *Annotat.* IV. §. 5. *Poſteriori modo* denotat ſpirales iſtas Volutæ revolutiones, abſtractim à Columellâ ſuâ interiore ſpectatas; h. e. illam Teſtæ Partem, quæ foris præſertim conſpicua, ex amplâ ſui concameratione ventrioſitateq; paulatim deſinit, usque dum in centrum exile terminetur. Confer etiam Tit: *Voluta, Orbis, Spira.*

V.

Valvæ: Teſtæ Teſtaceorum. Specialiter illæ, quarum non una aliqua ſufficit, ad Animalculi partes, intùs absconditas, protegendas; ſed duæ plerumquæ, aut plures ſibi conjunguntur. Unde Teſtacea ad ſummum in Univalvia, Bivalvia, & Plurivalvia, ſuperiùs in *Tabulàs* diſtributa ſunt. *Columm.* de Purp. c. 15. §. 1. de Conchâ Anomiâ Striatâ (quæ bivalvis eſt) loquens: *Cujus obeſa Valva minor eſt, atquæ tribus ſimul junctis Teſtis conſtructa videtur.* Et cap. 17. §. 2: *Ut clauſa teſta ſe tangat cum alterius Valvæ cervice.*

Vena Purpuræ: de hâc vide *Annotat.* XII. §. 19.


Venter: (1.) Pars Carnoſæ Teſtaceorum ſubſtantiæ concava, alimentis recipiendis inſerviens, circa Meconium vel Papaver ſita, in Turbinatis, & utcunque reſpondens Avium Ingluviei. (2.) Teſtæ pars amplior, concava, & velut formicata, diſtincta in Turbinatis à Turbine eorum ſtrictiore, vel anguſtiore Collectione in Spiram.

A Ventre *Ventrioſus*, vel *Ventricoſus. Columm.* de Purp. c. 1. §. 27: *Quod non ſit ita ventricoſa.* Et §. 32: *Ut ventrioſiores efficiantur, non longiores.* Et §. 33: *Maculis, in internâ ventrioſâ parte.*


Ventriculus, à Ventre jam-dicto parum discrepat: inque Turbinatis Ori continuò jungitur, magnitudine discrepans; in plerisque tamen exiguus. De Ventriculo Purpurarum etiam actum vide *Annotat.* XII. §. 17.

Verrucæ: Eminentiæ Orbiculares, breves, obtuſæ, aut *Tubercula,* (de quibus etiam in præcedentibus actum, ſub Lit. T.) muricibus vel aculeis mediocribus breviora, Teſtam forinſecùs inæqualem reddentia, e. g. in Purpurâ, apud *Columu.* cap. 1. §. 27. ut & in Buccino parvo Exotico, (cap. 5. §. 1.) cujus Iconem, huic Dictionario illatam, vide ſub titulo: *Linea.*

Vertex: Retorta aliquorſum ſubrotunda & ſtrictior Teſtæ pars. In ſpecie verò (1.) Cardinis acutior Eminentia in Teſtis bivalvibus, quâ parte colligantur, aut mutuò ſibi committuntur. Unde *Concha Anomia, Vertice Roſtrato,* deſcribitur ac depingitur apud *Columu.* de Purp. cap. 12. hâc figurâ: (2.) Pro-



ceſſus corniformis anomalus, in Conchâ quàdam Exoticâ *Ejusdem,* cap. 19. §. 2. 3. Iconque ibi habetur talis:




Villi: Languo muſcoſa, Teſtis aliquibus adnaſcens. *Col.* de Purp. c. 1. §. 30: *Non paucas habuimus Teſtas, villoſas omnes.* Confer Tit. *Fibræ.*

Vincu-

Vinculum Nerveum: vide *Nervus.*

Umbilicus: (1.) Latior Columellæ pars, in Turbinatis, ponè quam eorundem Orificium incipit, ſuâque tortuoſitate ſpirali, in Teſtæ intimiora ſe abdens, & ipſa latior Columellæ baſis; quale quid imprimis conſpicuum eſt in Teſtâ Turbinis Exotici, apud *Columnam,* qui cap. 3. proin Umbilicatum nominat, datâ hâc figurâ:



nec non in Cochleâ Terreſtri turbinatâ & Striatâ *Ejusdem,* de quâ cap. 9. §. 1. ſic ſcribit: *Umbilicum ferè relinquens in Centro, & eodem Orbium Ordine ſtriantur Orbes, &c.* Figura eſt talis:



(2.) Centrum, etiam concameratum, vel medium Teſtæ Lepadum, quoad concavam earum ſuperficiem ſpectatarum. Vide *Columm.* de Purp. cap. 6. §. 1.

Unda:

Unda: Rugarum Teſtæ ſtructura minùs ſtricta, aut acutangu-la; ſed amplior potiùs,& in rotundum oblongè elata; qualis eſt Concha Anomia rarior *Columnæ* de Purp. c. 12. cujus Icon paulò antè adducta hîc eſt, ſub voce *Vertex*. Item Concha Anomia IV. margine Undoſa ab *Ipſo* dicta, cap. 14.


Unio: vide Tit. *Margarita*.

Volumina: idem quod *Volutæ* (de quibus mox) vel Turbinum Curvaturæ, in Spiram redeuntes. *Columm.* de Purp. c. 3. §. 3: *Quinq; Voluminibus* (Turbo Exoticus) *inter quæ veluti Limbus apparet.*

Volutæ: à Volvendo, vel revolutione ſpirali dictæ, Volumina aliàs, Orbes, Circuitiones, aut Helices Turbinatorum, circa columellam; præcipua, & diſtinctiva illorum pars, aut character univerſalis; in aliis ſimplex, in aliis duplex, triplex, &c. Simplicis enim exemplum *Autor noſter*, de Purp. c. 10. §. 2. nobis ſuppeditat, ſcribens de Cochleâ marinâ Exoticâ: *Differt etiam, quia unicâ tantùm Volutâ ſive Circuitione definitur, illâq; vix conſpicuâ.* De duplici hæc notat, cap. 18. §. 5. circa Concham quandam Natatilem rariorem: *Volutas duas, quibus Teſta contorquetur.* Ac de triplici, c. 2. §. 4: *Volutis tribus tantùm Conſtructa eſt Teſta Cochleæ Ianthinæ.* Indifferenter verò, ex Numero Volutarũ an numerus Annorũ ſit colligendus, vide *Annot.* XI. §. 2. ſeq.

Z.

Zona: cum *Faſciâ* ferè coincidit, de quâ ſuperiùs, ſub lit. F. *Columm* de Purp. c. 18. §. 5. de Conchâ Natatili Neritode: *Zonis diſtinguitur flavis & cinereis.* Iconemque hanc dat:



Et hic eſto

DICTIONARII OSTRACOLOGICI

F I N I S.

SMITHSONIAN INSTITUTION LIBRARIES

SMITHSONIAN INSTITUTION LIBRARIES

SMITHSONIAN INSTITUTION LIBRARIES
3 9088 01348 7350